AUTHOR:

STAMMER, JOHANNES

TITLE:

THEOLOGUMENA SOPHOCLEA

PLACE:

OSNABRUCK

DATE:

1868

Master Negative #

93-81172-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Stammer, Johannes
...Theologumena Sophoclea, scripsit Ioannes Stammer... Specimen I... Osnabrück, druck von J.G.Kisling, 1868.
36 p. 24½ cm.

At head of title: Programm des K. Gymnasii Georgianni zu Lingen...

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13¾x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-17-93 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





Programm

des

Königl. Gymnasii Georgiani

zu

Lingen.

Ostern 1868.

Inhalt:

Osnabrück.

Druck von J. G. Kisling.

1868.

Theologumena Sophoclea.

Οὗτοι δέ εἰσιν οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες.

Herod. II, 53 (de Hesiodo et Homero).

Praefatio.

Quum fors obtulerit, ut hoc mihi proludendi munus deferretur, argumentum elegi, quo pertractando libentius ea provincia defuncturus viderer, quam felicius. Sentiebam enim, a plurimorum VV. DD. de theologia Sophoclea consensu me aliquantum discedere, non quo elegantiora desiderarem, sed contra locorum, de quibus maxime agitur, accuratam explicationem. Praeterea, qui inde a Luebkero[1]) in hac quaestione versati sint, eos necessitudinem theologiae et artis Sophocleae plus justo despexisse putabam; quarum rerum neutram diligenter curare placuit V. D. Adolpho Schoellio[2]). Sed is, librum, quem de vita Sophoclis inscripsit, satius habuit ad publicas res pertinere. Qui autem, quid Sophocles de rebus divinis senserit, explicaverunt, ab iis non poteram non dissentire, quum aliis in rebus, tum in eo, quod quasi curta sententia mihi videbatur, quam amplexi illi, e. c. Arn. Passowius[3]), Welckerus[4]), Dronkius[5]) Sophoclem nonnullis locis tantum non Christianum poetam fecerint. Quocirca hoc quidem curans, ut locos, qui exstant maxime memorabiles explicarem; deinde Jovis imprimis numen, imo imaginem, adumbrarem; denique in principiis imaginum divinarum quam potui studiosissime versarer, memor quidem hoc in genere uberrimae, quae est apud Herodotum, sententiae: e VV. DD., qui huic argumento operam dederunt, libris modicum trahere potui praesidium; praesertim quum, locos accurate explicare Sophocleos, supersedere soleant. Qualis ratio, nuperrime etiam a V. D. Arnoldo Passowio[6]) instituta, adeo incerta videtur, ut nonnumquam tuo jure dubitare possis, utrum librum de poeta Graeco, an de auctore talium fabularum confectum in manibus habeas, quales media aetate maxime Francogallos excoluisse constat. Quod vero attinet ad artis Sophocleae rationem, neque Aristotelis auctoritas omnibus numeris absoluta offerebatur, quem persuasum haberem, quae de timore praeter misericordiam tragoediis efficiendo[7]) statuit, ea non necessaria statuere. Ita accidit, ut et fabulae Sophocleae, in quibus jam pridem studiose multum volutatus eram, denuo essent perlegendae, et, in artis deorumque ratione, alieno fere praesidio carerem. Jam quum vix sperari possit, umquam fore, ut poetae universa sententia, quam inde a Triptolemo usque ad Oedipum Coloneum[8])

---

[1]) Die Sophokl. Theol. u. Ethik, Kiel, 1855.

[2]) Sophokles, sein Leb. u. Wirken, Fkf., 1842.

[3]) Sophokl. Studien, Brem., 1864, p. 5 sq., 7.

[4]) Cf. Griech. Götterl. III, 32; II, 87; II, 89 sq., cujus loci initium obscurum.

[5]) Ap. Passowium, l. c., p. 6.

[6]) L. l.

[7]) Poet. c. VI, 34 J. Bekk.

[8]) Cf. argum. O. C. I; Cic. de sen. c. 7. Triptolemus, primae tetralogiae Sophocleae, nimirum talis, qualem Schoellius proposuit, (die Tetrall. der Att. Trag., Berl., 1839), fabula satyrica, Ol. 77, 4.

prosequeretur, ea sic inveniatur, ut extrema cum primis contexi possint: opera tamen danda videtur, ut singuli loci, quantum fieri potest justo nexu comprehendantur. Quam rem, difficillima ut videtur, ita digessisse in locos duos, eo satius fuit, quum muneris officiis obstricto mihi tantus labor exantlandus esset. Igitur totam materiam, quam in harum paginarum angustias coarctare non liceret, quadripartitam distribui. Quaeritur enim in hac quaestione:

I. qualia sint numina, quae in fabulis Sophocleis inveniuntur;
II. sintne ea aetatis Sophocleae, an illius, ad quam fabularum argumenta pertinent, an alius cujuspiam;
III. volueritne Sophocles, sive ista, sive alia numina idearum imagines, an providentiam, a mundo sejunctam, an quidquid demum esse;
IV. si primum voluit, quo fine ac consilio in fabulis scribendis numinibus usus sit.

Jam vero, quum loci I, II, III in unum colligi posse videantur, explicabitur

Cap. I. quid Sophocles de diis aequalium suae aetatis senserit, adumbrata nonnullarum fabularum ratione theologica.
- §. 1. De deorum natura.
- §. 2. De theologia Euripidea.
- §. 3. De diis Sophocleis, ratione maxime habita fabularum, quae in cyclo Thebano versantur.

Cap. II. de singulis tragoediarum Sophoclearum ideis.
- §. 1. De ideis tragicis.
- §. 2. De historia tragoediae Atticae.
- §. 3. De fabularum Sophoclis, quae aetatem tulerunt, ideis septem.

Caput I.

Quid Sophocles de diis aequalium suae aetatis senserit, adumbrata nonnullarum fabularum ratione theologica, explicatur.

§. 1. De deorum natura.

„In necessariis unitas."

E quo tempore homines res suas in gremiis deorum posuerunt, sententiae de divina in mundum moderatione exstiterunt adeo discrepantes, ut molestum sit, dinumerare singulas. Alii enim, nihil denique interesse rati, utrum ab hominibus, an a diis facinus aliquod actum dicatur, non dubitaverunt, quin, quae de diis hominibus placuerint, horum quum moribus, tum artibus ingenuis utilitatem afferre possint haud mediocrem; alii, quae homines perficiant, a diis effici statuerunt; alii denique, negantes, deos esse, perpetuo quodam errore res, ab hominibus confectas, non ad homines auctores referri existimaverunt. Hi quidem, palam in deos disputantes, non solum superstitiones, sed etiam publice susceptas religiones omnes exstinguere conati sunt; neque, vel virtutem, vel ingenium, vel vitam incolumem a diis hominibus petendam esse, sed haec, si modo habeant, a se ipsis habere homines, arbitrati, suo

jure omni tempore *ἄθεοι* appellati sunt. Nihil enim, neque ad externas commoditates augendas, neque ad perfectionem rerum humanarum universam valere dixerunt, nisi quae suis stantes viribus homines inveniant, a justa ratione profecti. Audacissimi quidem illi et plane tragici homines! Ipsam enim rationem, in qua stare vellent, quum a diis habere repudiarent, quin etiam, si quis istud donum in deos contulerit, eum negare deos vel ipsum, dicerent: a ratione tamen, qui perfectionem peterent, omnibus numeris absolutam, haeserunt; ut, velut inter astra et terram suspensi, summae locum darent misericordiae. Quid enim, ut exemplo utar, magis tibi animum commoveat, quam Academici illius, quisquis is est, spectaculum, qui quum, a studio veri investigandi profectus, multa eaque haud aliena in deos disputasset, in fine quaestionis, se id non fecisse confiteretur, ut naturam deorum tolleret, quos esse, sibi ex animo non posse exuri dixerat; sed, ut ostenderet, quam difficiles res divinae haberent explicatus; id quod paucissimis verbis expedire poterat? Et quid mirum, quod, qui illum talia ratiocinari fecit, poenas dedit Ecclesiasticis[9]), qui hoc satis intelligerent, deos eos, quos esse, Cotta Ciceronianus non sibi ex animo exuri posse, diceret, neutiquam dici deos Romanorum? Neque igitur dubitatio illa, quam quidem rectissime invenit in Cicerone Creuzerus[10]), eadem pertinuisse existimanda videtur ad deos, quos Romani, Ciceroni aequales, fere probarent, sed ad mundi, praeter istos, providentiam qualemcunque. Atqui propter talem rationem, quae quidem eo differt a poetae Graeci, paullo infra memorandi, quod is universam deorum naturam sustulit, nescio, cujus magis laudanda sit sinceritas, utrum Ciceronis, an, sive Diagorae, minus simulate in deos invecti, qui et sacra, pietatis plenissima, in vulgum daret, et aperte, non esse deos, affirmaret: sive Samosatensis, qui etiam ludibrio deos haberet. Similem Diagoricae inter philosophos Carneades rationem secutus est, qui *σωτηρικαῖς* suis *ἐρωτήσεσι* deorum providentiam dissolveret; inter poetas Euripides. Is enim in Iph. Taur.[11]), facinora haud laudabilia diis falso tribui, statuit: *οὐδένα γὰρ οἶμαι δαιμόνων εἶναι κακόν.* Unde, rationem habens particularum *οὐ* et *μή*, quarum illa rem, haec cogitationem rei negat, ut *οὐ* plerumque affirmet negationem, *μή* neget affirmationem, confecerit aliquis, non ille considerans, deos quidem omnino praeter imagines suas non esse, Euripidem proposuisse, esse quidem deos, sed fieri non posse, ut sint mali dii, quae fuit aequalium sententia; qua ex re sequeretur, poetae aut eorundem deorum aliam naturam, aut alios deos placuisse. At de hoc infra dicetur. Maligne certe propter talem sententiam Aristophanes hominem carpebat, cujus fabulas Atheniensibus perniciosas putaret. Et jure quidem. Quid enim magis ad opiniones de diis confundendas idoneum, quam quod priscis eos sedibus Euripides amovebat, sic ut Musarum matrem in Attica collocavit[12]), vel quod sanctissimum matris deorum numen cum Cereris confusum perturbabat[13])? Quid laedere magis religiones potuit, quam quod Juppiter non modo justa ratione mundum gubernare, sed etiam, ob id ipsum qui vituperaretur, dignus esse dicebatur? De-

---

[9]) In his Lactantio, div. inst. II, 3.

[10]) Ad III, 40 D. N. Cf. de off. II, 14. 16, coll. N. D. I, 9 fin., quibus locis haec fere efficiuntur: omnibus veris falsa adjuncta. Non tamen nihil verum. In philosophia potius veritas unice sectanda. Difficile est, his quidem in locis non cogitare de notissimo illo Lessingiano.

[11]) V. 369 sq. Seidler.

[12]) Hel. 1330 sq.

[13]) Hel. 1304; Paus. VIII, 37; Orph. Arg. 22, coll. Julian. or. 5, cit. Rathgeb. ap. Jacobi, Handwb. d. gr. u. röm. Mythol. s. v. Rhea.

bebant profecto talia dubitationem de opinione Euripidis tollere, sic ut in Aristophane, („τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς“), sustulerunt, recentioribus. Nam quum Juppiter ex opinione populari is esset, qui cunctas res e suo qualicumque arbitrio adeo moderaretur, ut vituperare eum nequaquam fas esset; quum inter omnes constaret, deos κακούς quoque apparere: qui nihilo secius illud negavit, is una cum attributis subjecta evertit. Dii enim, humanitus inventi, nisi conformatione, non sunt, ea autem vel maxime sunt; neque ergo aliter esse possunt, ac conformantur. Quocirca nequaquam datur, errare de diis[14]), neque fidem superjacere augendo, neque detrectare quicquam; sed adeo libera est deorum inventio, ut bene se habeat, quidquid iis attribuitur, neque ullum reprehensioni locum det. Nihil enim datur reprehendere in imaginibus rerum, nisi ea, quae a substantia discrepare existimentur; diis autem non est substantia, nisi conformatione; e quo conficitur, nihil omnino in diis inesse posse, nisi quod conformatur. Hoc autem penitus exprimere deorum imagines, utique et consentaneum et necesse est, ut nihil omnino falsi continere possint, sed omnis veritas in hoc genere cernatur eo, ut *quam plurimum conformetur*. Quodsi haec vera sunt, sequitur, quae de imaginibus deorum delibantur, ea de substantia eorum delibari, imo etiam, Euripidem, absolutum Jovis arbitrium negantem, Jovis substantiam negare, neque idcirco eundem deum, modo cum alia natura, ne potuisse quidem, postulare. Atque, quum eadem ista sententia, qua aequalium deum supremum tentavit, hoc enunciaret: *malos deos statuisse contendit contra substantiam deorum*, quaeritur, quae tandem sit deorum substantia.

Omnis res, quae in animo est, nisi finibus circumscripta, quibus ab aliis rebus sejuncta sit, non inest. Eam igitur facultatem, qua ejusmodi finibus rem animo circumjaciamus, ut non explicetur, vel cur sit res, vel, quas alias ipsa contineat, sed imago ejus animo imprimatur, in qua res pelluceat[15]), sentiendi facultatem appellamus. Non ergo comparatur sentiendo species rei, sed imitatio modo, quae placet propter circuitus, sive terminationem; qua ex imitatione quo magis pellucebit in animum, eo magis sentietur res. Quare fieri non potest, in imagine, vel, ut sit ipsa res, vel, ut non sit; sed hoc solum et fieri potest et fiat, necesse est, ut pelluceat. Jam quum res contineatur attributis, haec quoque pellucere tantum in imagine rei, sequitur. Primum autem attributum habemus, esse rem, sive substantiam; haec igitur neque est in imagine, neque vero non est, sed pellucet modo, ut neque, utrum res sit praeter imaginem, ex hac quidem liqueat; neque, vel e visu illustri, vel terminatione, quamvis accurata, quicquam aliud, quam suspicio de substantia effici possit. Eademque est ratio ceterorum attributorum, quae quidem sunt substantiae attributa: non sunt in imaginibus, neque non sunt, sed pellucent in iis. Atque sentiendi facultate quum res in mentem nostram pervenire, clarum sit, quae sensibus percipiuntur, patet tamen, multo latius patere terminationem, sive sentiendi facultatem, quam sensus, qui proprie vocantur. Namque non solum, quae his percipiuntur, sed etiam notiones, species, sive ἰδέας, ideas, id denique, quod efficitur ideis universis, terminare licet imaginibus. Itidem patet, consummandae terminationi opus esse imaginibus per lineamenta adumbrandis; unde male se habet Goethii illud de Raphaele dictum[16]),

[14]) Nedum, ipsos esse fallaces, praeterquam quod vero deo opponantur, ut in Dantii illo, (Inf., init.): „dei falsi e bugiardi.“

[15]) Similiter ac Quintilianus nescio quo loco ex voce mores „pellucere“ dixit.

[16]) Dichtg. u. Wahrh.

bene autem eorum sententia, qui artes ingenuas pro instrumentis terminationis disponunt[17]), quippe quae differant inter se utilitate ad terminandum. Denique apertum est, imaginibus exprimendis imitationem imaginum continere, sic ut ipsis imaginibus rerum. Res igitur, quas proxime memoravimus, pellucere possunt in imaginibus omnes; estque in his unitas quaedam imaginis cum substantia rei; non secus atque in sentiendo hujus ipsius rei cum idearum universitate. In imaginibus autem idearum ipsae ideae tanto non insunt, quantum interest inter substantiam et speciem sive pellucendum. Quae igitur substantia? Sequitur quidem exsistentiam, quae vocatur. Hanc tamen primam non esse, sed principium contineri essentia, vel verborum ratio docet. In hac igitur omnes res consistere consentaneum est. Quum autem sit principium, nisi negatione continua non datur, et continet, quaecumque res omnes continent. Continet ergo etiam speciem. Quoniam autem consistunt omnia in essentia, speciem haec habeat, necesse est et circa omnia et circa semet ipsam. Primum quidem circa exsistentiam, quam vocant. Inde duae res sequuntur. Altera, exsistentiam intelligendam esse essentiam, quoad haec speciem habet circa se ipsam. Altera, speciem esse essentiam, exsistentiae oppositam, quae negatur, quum agitur de exsistentia. Sed mittamus priorem et videamus de ratione exsistentiae. Patet autem, quum cernatur in essentia negata, sive in essentia quae lucet circa semet ipsam, quod fieri non potest, nisi sic, ut se conferat essentia ad se ipsam: et semet ipsam negare exsistentiam et ipso negando sese ad semet ipsam referre. Quod, ut in quavis natura perspicuum, ita facile intelligetur, modo cujuslibet disciplinae principium cum exsistentiae notione cogitare velis. Fluunt autem ex illa exsistentiae ratione res tres.

Primo quidem differentiae notitia universa, quam continet aequabilitas exsistentiae, quoad se negans se refert ad semet ipsam. Quoad autem se sibi opponit exsistentia, efficit contradictionem. Quodsi haec vera sunt, apparet, et differentiae notionem prodire ex aequabilitate, sive ex exsistentia, se referente ad se ipsam; neque aequabilitatem eo, quod negat se ipsam, tolli, quin etiam ejus „τὸ μὴ ὄν“ luculentiorem differentiae notionem praestare. Jam rursus plane eadem ratio videtur differentiae. Exsistentia enim, a se ipsa differens, partim est secum aequabilis, partim a semet distincta, sive quasi repercussa exsistentia. Atque priore ratione intelligitur caussa, posteriore consecutio esse. Elucet, caussae notione aequabilitatem et differentiam reconciliari. Jam concludendum est, esse aliquid, in quo exsistentia et tota et secum adaequata manifestetur. Et hoc quidem significamus rem veram, sive rem, ad effectum adductam. Effectum igitur tertium habemus, ab essentia profecti. Quod autem speciem habet exsistentia, eae res, quibus nihil sit, quam species circa exsistentiam, accidentia denotantur. Contra, ubi exsistentia cogitatur, speciei opposita, facit, ut emanent propria. Itaque, quum in effectu manifestetur exsistentia, secum adaequata, primo ille continet accidentia, altero propria sibi. Haec autem, sive verum effectum, necessariam essentiam intelligendam esse, consentaneum est. Et caussam, supra demonstratum est, contineri exsistentia in distinctione a se secum aequabili. Quodsi id ipsum, quod necessarium est, ponitur tamquam caussa sui ipsius, secum aequabilis, substantiam id efficit. Accidentia igitur, ne substantiae quidem effecta, facile intelligitur, nihil esse, quam fugaces quaedam substantiae affectiones, circa quam intereunt. Talia occurrunt rerum status ac conditio, in terris quae evanescunt,

[17]) Fr. Schlegelii.

perinde atque emerserunt: quaecumque sensibus, qui proprie vocantur, non solum, sed etiam humana pleraque: denique qui effectus dici solet, et is opinatus. Contra, substantiam interire non posse, paret ex ejus definitione.

Igitur idearum substantia consistit in rebus iis, quae in ideis sint necessaria, quoad concipiuntur eae res caussa sua, secum aequabilis. Species autem, collata definitione, efficitur duplex. Prior quidem essentia negata. Haec idearum rerumque omnium species continetur in imaginibus, per quas pellucent illae, prout singulae in animo artificis terminantur[18]). Altera deinde, in iis rebus consistens, quibus circa exsistentiam idearum nihil omnino sit, quam species. Hae res, accidentia videlicet, efficiunt figuras et lineamenta imaginum. Jam vero id, in quo substantiam habeant res, designamus cogitationem, quae contineat necessaria. In cogitatione igitur ideae insunt, sive substantiam habent. Clarum vero est, hoc etiam sic pronunciari posse: in cogitatione est substantia idearum, per imagines speciem habet. Quae quum ita sint, consequitur, quaestioni de discrimine inter substantiam et speciem idearum supra positae, hoc respondendum esse: differt idearum species a substantia, sive ab ideis cogitandis, vel ideae terminandae ab ideis cogitandis primum eo, quod imaginibus terminandis negatur essentia ideae, propterea quod exsistentia ejus spectatur; contra in ideis cogitandis eadem progreditur ad substantiam idearum. Eam enim vidimus et speciei et cogitationis rationem. Deinde eo, quod necessaria imaginum tamquam sua caussa in imaginibus quidem pellucent, in cogitationibus insunt. Eam enim effecimus rationem substantiae. Denique eo, quod exsistentia idearum, quoad se repercutiens a se ipsa aequabilis secum, sive caussa idearum, pellucet in imaginibus, est autem in cogitationibus idearum. Eam enim invenimus caussae notionem. Fac igitur ponas ideam pietatis, Antigonae, virtutis, Oedipi imaginibus repraesentatam Sophocleis, apertum est, quae iis ideis necessaria sunt, in imaginibus illis non quidem inesse, quoad se ipsa efficientia, sed hac adeo ratione pellucere, aequabilia secum; item, ideas illas ex actione fabularum cum substantia sua sic pellucere, ut in utraque actione cernatur idea tamquam caussa sua, suam ipsius consecutionem efficiens. Quae quum ita sint, duplex et in sentiendo et in cogitando, in hoc inesse, in illo pellucere videtur unitas. Altera unitas imaginis cum substantia rei. Haec efficitur eo, quod imago, quamvis non contineat substantiam, spectat tamen exsistentiam, eoque ipso substantiam. Nam, quum agitur de exsistentia, negatur essentia; qua negata quum ipsa species contineatur, consentaneum est, quum de specie agitur, spectari exsistentiam. Quamquam, qua sola ratione hoc fieri possit, infra explicandum est. Spectantique igitur ad substantiam imagini, quamvis non attribui possint necessaria, quatenus caussam suam secum aequabilem efficiunt: spectat tamen ad haec imago, quoniam speciem habet. Indidem est, quod, quamvis non insint in imagine propria rei, per speciem tamen pertinet ad ea. Alteram in sentiendo unitatem habes, quoad de actione agitur, qua et imagines et cogitationes conficiuntur. Atque haec quoque unitas, etsi speciosa, unitas tamen: sentiendi

[18]) Essentia, ad quam negatione continua progredimur, hac reciprocanda ipsa negata, principium efficit progressionis, qua nationes utuntur, conspicuum illud inclinatione quadam ad imagines fundendas. Hoc iis considerandum videtur, quibus propositum est, dijudicare, quid artes ingenuae ad doctrinas augendas valuerint. Quae quaestio constet oportet in illa speciei natura, omni arti communi. Ac quidem, ut incrementum, (das Werden), inde artium necessarium esse efficitur, ita, ex eadam illa speciei natura, intelligi poterit, et quandam fabricationem habere artibus inventa, quod exsistentiam spectat essentia negata; et imagines species rerum constituendas aliquantum aetate superare necesse esse.

scilicet cum cogitatione. Haec quidem in eo posita est, quod spectat imitatio in ipsa specie efficienda substantiam rerum, haec autem inest in cogitationibus. Distat quidem ab ea unitate, quae cogitationis est, eo, quod sentiendi spectat exsistentiam, cogitandi reapse progreditur ad substantiam. Magis idcirco expedita, quae rebus cogitatis cum rebus adeo est unitas. Quae si non esset, ut vel sponte apparet, hoc daretur, necesse esset, ut essentia praeter negationem et speciem circa exsistentiam cogitetur. Quod quum fieri posse, negandum sit, conficitur, cogitationem aequabilem esse cum essentia, ut, quamcumque in formam cogitatio transierit, in eandem eo ipso essentia transiisse judicanda sit. Quod idem confirmatur effectus cum specierum notionibus conferendis. Ille enim, ut manifestatio exsistentiae, caussam includentis, necessitudo, eaque rationalis. Neque ulla in re diversa specierum ratio, quae nisi necessitudine, ratione fundata, non efficiantur. Altera cogitandi unitas, minime illla quidem aequabilitas, est cogitationum cum idea universa. Atqui cum qualitate haec intelligenda. Non enim exsistere dici potest, quoad quantitatem respicimus. E quo intelligi potest, alterius cum altera unitatis aequabilitatem omnis numeris absolutam esse. Hic igitur finis cogitandi, ut, quum nobis quidem nihil sit, quam differentia, iis, qui de his rebus philosophantur, versandum esse videatur in cogitatione indifferentiae absolutae. Sed haec hactenus. Apertum vero est, exsistere imaginum in species assimulationem quandam. Quam ad rem qui intendere animum voluerit, is permultis locis, sive mentem singulorum hominum, sive universum alicujus gentis ingenium excolendum respiciens, comprobatam inveniet. Nobis quidem propter Euripideae non solum, sed etiam totius quaestionis tenorem unam rem ursisse, satis. Imagines enim adeo afficiuntur assimulatione, ut convertantur in species. Quod non fieri non potest, quia imagines spectant ad exsistentiam et ad effectum, hic autem idem est, ac species. Spectant ergo rerum imagines ad species rerum. Suguntur speciebus. Quum vero pellucendo spectent ad species, et, quidquid in imaginibus non est speciei, id alienum ab imaginibus; neque hoc assimulatur in effectum, sed iis rebus, quae sunt speciei, assimulandis utile est. Quamquam animadvertas velim, quae est imaginum et specierum, hominibus quidem excolendarum, conditio, permulta inde ab initio in imaginibus inesse et continuari solere, quae praecipue sint specierum; quo in genere memorabile exemplum infra proponemus verborum notiones. Unde concludendum videtur, imagines per solam speciem, qua spectent exsistentiam, in effectum seu species assimulandas, nostrae sentiendi rationi denegatum esse. Igitur, ut ad propositum redeamus, quoniam et ipsae species, imo videlicet ideae, imaginibus possunt terminari, perspicuum est, quae tantum in speciebus idearum versantur, ea assimulare in se, quae pellucendo species spectant. Duplex igitur, eaque sane tanti, in quovis genere accurate definiri, imaginum ad species idearum assimulatio: altera, quae interna intra ipsas imagines tendat ad species; altera, quae externa atque adventicia imagines ad species trahat. Quae ubi in circuitus imaginum penetravit, detrahit de specie integra, sive de perfectione imaginum.

Quae quum ita sint, veri simile est, notionem assimulationis proficere aliquid posse ad ideas eas, quas dii certe exprimunt, dijudicandas. Ab essentia autem quum res oriantur, consentaneum videtur, species terminandas originem traxisse a specie, essentiae quae est circa exsistentiam. Quod si verum, necesse est, vocabulum fuisse aliquod, quo et illa species et unitas rei pellucentis cum ea, in qua pelluceret, sive cum imagine, exprimeretur. Unde autem primum exstiterit, ut species essentiae, imo exsistentia, terminaretur, neque hoc loco dijudi-

candum est, nec magis omnino refert, quam, ad quod exsistentiae genus illam primum speciem retulerint; certe tanti duntaxat, quanti cunctus denique refert effectus opinatus, exortus ille ex essentia. Veri sane est simile, et, quod ad priorem quaestionem attinet, stuporem [19]) ansam dedisse imaginis, quem sequeretur studium inquirendi, seu exsistentiae et effectus appetitus. Hoc utique docet quum memoria, tum ideae terminandae ratio, (cf. s. p. 6), cascam eamque primam imaginem exstitisse ab essentia absolute negata. h. e. a specie absoluta, deficiente certi finis lumine sive specie. Sequitur, ut species absoluta referretur ad se ipsam necessario. Haec autem, ut sponte apparet, nihil aliud quam exsistentiae species sive lumen. Pellucens igitur exsistentiae, circa quam omnis neganda esset essentia, ut et pelluceret circa se ipsam resque omnes, et omnes circa illam pellucerent, formata appellari daivás (vet. ind., ϑεός, deus), h. e. id quod lucet [20]). Derivata autem ratio vocis terminandae a coelo, cum visu, longe, quam alibi, grandiore, conspicuo. In daivás igitur species secum aequabilis, itidem, etsi ad genus exsistentiae deflexa, in Ζεύς [21]), i. e. coelum; unde sane rectissimum Winkelmanni illud. Inter hoc autem utrumque illud, ut id, quod pelluceret, super summis montibus speciem habere diceretur. Haec igitur imago et, quae eam sequebatur Ζεύς, initium cernuntur conformationis, tractum illud usque ad aetatem heroicam versansque in rerum natura, sive accidente utens. Indidem erat, quod accidens mox ipsum objiciebatur terminationi, ut jam diceretur idem illud Ζεύς id, cujus coelum esset, seu deus coeli, a dyaús, et ΔIF eodem intellectu a div, (lucere et coelum), ut huic quidem attribueretur id, quod dei coeli esset. Haec igitur ne

[19]) Herod. τὸ ϑαυμάζειν.

[20]) Neque enim ϑεός est a verbo τίϑημι, neque vero a ϑέω, sed aut a daivá-s, (sanscr.: dêva-s), aut a dhavâ-s, (sanscr.). Illam tamen vocabuli ϑεός originem, acceptam fere recentioribus, inter quos maxime laudandi videntur Fr. Boppius, Leo Meyer, („vergl. Grammat." I, 414), Legerlotzius, (Ad. Kuhn, „Zeitschr. für vergl. Sprachforschung", VII, 307), in dubium vocavit G. Curtius, nomen ϑεός a radice ϑες, (sanscr.?), ortam esse suspicatus, („Griech. Etymol.", I, 97 sq.), ut ϑεός sit „imploratus", simile quidem illud adjectivis πηγ-ό-ς, λοιπ-ό-ς, τομ-ό-ς. Videtur nimirum illius radicis esse aoristus ϑέσσασϑαι, quamquam Buttmannus altius repetit verbi ϑέσσεσϑαι stirpem a τίϑημι, quod est a τίϑᾱμι, (lexilog. II, 98, n. 3), proprie non „ponere", sed „sedere" significans. Utcumque id est, si ϑεός a ϑες proficiscebatur, quidni dicebant: ϑεσπειϑής, ϑέσπεμπτος, ϑεσποιός, ϑεσμύσης, ϑέσμορος, alia frequentissima, sic, ut dicebant: ϑέσπις, ϑέςφατος, ϑε-σπέ-σιο-ς? Si ϑεό-ς esset pro ϑεσ-ο-ς, ab hoc deinceps ϑέσφατος etc., pro ϑεσο-φατο-ς etc., qui fieri poterat, cetera illa, haud recentiora, non a ϑεσο-, (a ϑεσο-πειϑης: ϑεσπειϑής, a ϑεσο-μορς: ϑέσμορος), sed a ϑεο-ς peterent, quod ab ipso adeo ϑεσο-ς originem duceret? Duae sunt radices veteris linguae Indicae, altera: div, lucere; altera: dhavâ, homo, vir. Ad illam pertinet dyâú-s, coelum, tamquam id, quod lucet; minime vero proprie deus coeli, ut ait Curtius, l. c.; tum div = δίϜ-, unde διϜός, Διός: itidem, cum principali Genitivi significatu: id, quod lucendi est, quod coeli est, (cf. Godofr. Hermanni, Viri Summi, de Genitivi ratione longe sagacissime disputata in libro: de ellipsi et pleonasmo in Graeca lingua, in F. A. Wolfii et Buttmanni mus. antiquit. studior., vol. I., p. 137, 140, 149), ex hoc ipso autem significatu ΔIF deus coeli; quippe div idem quod dyâú-s. Ad radicem dhavâ autem pertinet „vidua" pro „vidava", tamquam orbata viro. Jam vero a radice div per gunam est daivá-s (non quidem „daivas", [Curt.]), sanscr. dêva-s, (lit., unico consensu: dievas, non, quantum scio „deva-s", [Curt.]). A quo si vocabulum ϑεός derivatur, deus dicitur ϑεός tamquam lucens. Rursus, si a dhavâ-s ϑεός originem trahit, ut placuit Car. Hoffmanno, (Curt. l. c.), deus proprio sensu homo dicitur. Quod quum mirifice arrideat propter oxytoniam, in dêvas tamen acquiescendum, quia et redire videtur ad oxytonum daivás, et notitiam pellucendi habet. Quod igitur diximus, si vera sint de unitatis in imaginibus specie explicata, necesse esse, vocem aliquam exsistere, qua ea unitas exprimatur: hoc bene se habere, vox dêva-s argumenti est, qua ipsa comprehendatur unitas ejus rei, quae pellucet, cum altera, in qua ea res pellucet, sive cum imagine.

[21]) Cf. Il. XVI, 233 sq.

separata quidem idea terminata, sed talis prima imago Ζεύς aetatis heroicae, tamquam respublica constituenda. Sed, quidquid de hoc loco placebit, hoc, etiamsi memoria careret, conficitur tamen e ratione specierum, et ipsas et ideas ab initio formis imaginum usas esse. Etenim, quum exsistentia prior sit effectu, indidem est, quod prior est speciebus. Quae quia specie continetur essentiae circa hanc ipsam, efficitur, ut rei unius atque ejusdem, quae speciem habeat per imagines adeo suas, perveniatur prius ad imaginem, quam ad effectum sive speciem. Nunc idem proditum est memoria. Nam et coeli, et terrae, et aquae, et ignis notiones: rerum denique naturam, sic, ut et rationem ac consilium [22]) et leges ferendas: has res omnes multo ante imaginibus circumscriptas fuisse, quam earundem species quaerere inciperent Ionici, neminem fugit, aetatis, quae vocatur Homericae ratione paullo peritiorem. Et respublica designanda, quae quum recentiore, tum heroica aetate ex imagine Jovis pellucebat, a Platone demum ad speciem revocata est. Usque eo non rerum effectus seu species placebant hominibus etiam heroica inferioris aetatis, ut, quae in pristinis sedibus peregerunt facinora magna, ea ad priscas imagines retulisse satius haberent, quam in effectus rationem assimulasse. Neque in vocabulis adhibendis sejungebant utique imaginum a specierum notiones; veluti una voce terrae altricis et conformabant imaginem [23]) et speciem proponebant. Talia quamvis longe discederent inter se postea, ab initio fere conjuncta. E quo intelligitur, primo, quam species continent unitatem necessitudinis rationalis cum effectu, eam quum exstitisse aetate, imaginum conformatione inferiore, tum ipsa hac aetate, qua imagines conformabantur, ea scilicet, quam carmina Homerica respiciunt, species indifferentia, ut ita dicam, cum imaginibus confusas fuisse. Pellucebant igitur et species et unitas illa ex imaginibus suis. Altero, imagines assimulandas in eo constitisse, ut species se distinguerent a se ipsis, sive quasi recederent ab indifferentia sua cum imaginibus suis dupliciter: primo quidem propter speciem, deinde propter hoc, ut propria sive necessaria speciei opponerentur, ergo, ut species se suae speciei opponerent, ad exsistentiam tendentes. Videre licet, illam assimulationem internam, hanc externam sive adventiciam factam esse. Patet autem, quum exsistentia manifestetur effectu, is rursus aequabilis sit cum speciebus, intentione ad exsistentiam sua duplici tetendisse species ad se ipsas, seu post discessum a se ipsis spectasse, ut se reperirent. Quo ergo propius ex indifferentia sua cum imaginibus suis ad se ipsas accedebant, eo magis et detraherent, necesse erat, de imaginibus suis, sive de specie sua, necessitudinem suam speciei suae opponentes; et affectarent intra imagines suas necessitudinem suam, ratione indutam. Jam vero, quum effectus ab exsistentia, unde oriebatur, una cum necessitudine caussam ducat, species, consentaneum est, ab exsistentia progressas esse ad substantiam, quae quidem pellucebat ex imaginibus. Ita efficitur, ut speciem substantiae suae, ex imaginibus suis pellucentem, species non possent non assimulare in se ipsas. Quae quum ita sint, sequitur jam, primum, species,

[22]) Plat. Crat. p. 407, A, cit. Weickero Götterl. I, p. 314: „Ausser dem Physischen hat Athene von Zeus dem Allwissenden Verstand und Weisheit, wodurch — — sie mit ihm die menschliche Gesellschaft beherrscht und regelt." Ib. p. 315: „Gleich dem Zeus — — ist Ath. Geist, Verstand, Rath, Weisheit, Klugheit, Besonnenheit; Geist des handelnden, waltenden — Mannes, nicht des dichtenden, begeisterten" etc. Cf. Il. O, 260: Ἀϑ. πολύβουλος.

[23]) „Μήτηρ πάντων."

quocumque tempore in substantiam suam sive ad se ipsas se receperunt, necessitudinem suam, tamquam caussam suam secum aequabilem, non continere non potuisse; deinde, explevisse illas eum finem duplici, de qua explicatum est, assimulatione in se ipsas. Denique, quum, studio terminandi latius apud Graecos patente[24]) quam ad solas species imaginibus circumscribendas, e propria sibi indole omnia vitae genera imaginum quadam ubertate perfunderent, intelligi potest, species in se ipsas assimulatas tanto imaginum splendori finem imposuisse, praesertim quum tot res continerentur imaginibus, quas, ad effectum opinatum pertinentes, circa substantiam specierum interire necesse esset. Et, quod cujusvis imaginis propria natura in eo sita est, ut pulchra terminetur, quo placere possit propter circuitus suos, fieri non potuit, quin instituta Graecorum, tali specie induta, quippe vel cultus deorum,[25]) vel vita privata, vel respublica pulchra circa substantiam specierum, istas suas imagines in se assimulantium, interirent. Ubi igitur species, exsistentes quidem illae ab initio, quod, nisi id ita esset, imagines suas non potuissent a se sejungere, cum substantia sua haud amplius pelluxerunt, sed nihil omnino aliud fuerunt, quam necessitudo rationalis; non jam amplius exsistere poterant imagines, quas, una quidem cum effectu opinato, in se assimulassent. Quod, durum ut videtur, ita et necessarium; neque iis non ferendum videbitur, qui considerare voluerint, ultra species suas imagines in eo pertinere, ut ipsa universa sentiendi unitate assimulanda, quod quidem nostrorum videtur negotium, in ideas assimulentur. Quibus clarius etiam elucebit, ejus speciei, quae proficiscebatur ab imaginibus, necessariam fuisse assimulationem in substantiam. Etenim, quum haec quarumlibet specierum proprietas, ut, rationem exsistentiae sequentes, a se ipsis distinctae, assimulare se in se ipsas affectent, cum notione finis cogitatur, species quaelibet idea esse cognoscitur. Est igitur idea finis se ipsum exsequens. Continet autem effectus, seu species tamquam necessitudo rationalis et hoc, ut constituatur ratiocinatione, sive rationem, quae vocatur subjectam; et illud, ut sit nihil quam effectus, sive, ut tantum sit species, sive denique rationem, quam vocant objectam. Quatenus igitur idea ponitur tamquam relatio inter rationem objectam et subjectam, apparet esse verum et bonum. Et illud quidem objecta ratio, posita tamquam subjecta; hoc subjecta ratio, tamquam inducenda in objectam. Ideae vero quum ex imaginibus suis pelluceant perinde ac species, apertum est, duplicem esse imaginibus idearum speciem, alteram veri, alteram boni. Jam duplex idearum terminandarum modus. Aut enim figuratae, veluti, sive deorum, sive hominis cujuspiam tragici, ideae; aut non figuratae terminantur, ut pietatis ratio ea, quam sequebatur Antigona[26]). Quae autem figuratae, *προςωποποιηταί*, terminabantur Graecis, eae ideae substantia aut pellucente, aut non pellucente offeruntur. Atque harum imagines habemus symbola, illarum tum ceteras conformationes poeticas, tum deos, illas quidem uten-

[24]) Praeclare universam Graecorum indolem, ad circumscribendas res inque parvos quosdam et angustos locos concludendas delabentem, Pindarus Nemearum nescio quo loco adumbravit, dicens: *μυριᾶν ἀρετᾶν ἀτελεῖ νόῳ γεύεται.* *᾿Ατελής* est id, quod finem suum non explevit, (opp. *τέλειος*.) Itaque, ubi rei, quae est *ἀτελής*, certus ac proprius illi finis objicitur, *ἀτελής* est: vanus, vel: cassus, vel: irritus. Ubi autem objicitur cogitatio finis rerum universi, qui est ultima perfectio, *ἀτελής* est: imperfectus, non absolutus. Et hoc sensu Pindarus *νοῦν* aequalium suae aetatis *ἀτελῆ* dixit, qui minus intentus esset universa rerum perfectione; quo pertinet, quod Boeckhius subtiliter dicere solebat, Graecos floruisse ea re, quam vocamus nostrati verbo „Virtuosität", caruisse ea, quae appellatur „Universalität."

[25]) Huc facit praeclarum Schilleri illud: „Damals war nichts heilig, als das Schöne."

[26]) V. 450 sq. Br., coll. 905 sq.

tes, hos carentes accidentium fragilitate, quae, sicubi fingitur, velut in Venere saucia, non tamen afficit, ubi autem transfertur in deum, tollit adeo substantiam ejus, cum homine deum adaequat; veluti Bacchus in priore Baccharum parte utique homo apparet[27]). Pellucet igitur ex symbolis, etiamsi fere universa idea, non ea tamen cum substantia; dii autem, quibus species substantiae cum imaginibus et non figuratis et figuratis, praeter deos, communis est, eo tamen ab his differunt, quod veri bonique substantiam pellucentem repraesentant accidentibus carentes. Afferunt autem ob id ipsum dii, [sive imagines idearum cum substantia et figuratione terminatae, (ut verbo dicamus: conformatae), carentes praeterea accidentibus substantiae, quum ipsae adeo substantiae idearum accidentia sint habendae], auctoritatem et veritatis et bonitatis. Ex his, si vera disputavimus, res quattuor conficiuntur. Primum, quum imaginum terminandarum studium, ad omnia quidem illud vitae genera pertinens, propriam quasi ac peculiarem provinciam artes liberales sibi vindicaret, quibus verissime, quia uberrimae, imagines terminarentur, cognitiones deorum permultis in rebus ei rationi obtemperasse, quam artifices, imprimis poetae, praeter hoc sequerentur, ut vel ipsi, a studio conformandi profecti, deos imagines idearum conderent, lineamenta formasque adhibentes. Huic loco permulti occurrere solent, quamvis gravi Herodoti testimonio probatus sit; utentes illi tamquam praesidio sententiae de cultu et mytho Graecorum omni numero diversis, et illa deorum colendorum ratione, quae simulacris aut non adoratis, aut minus perfectis, aut nullis uteretur; et deorum, imprimis inferorum, cultu isto, quem satis constat multis in rebus ab imaginibus divinis, poesi epica constitutis, dissedisse. At ea profecto disparatio nulla videtur. Non enim, qui renuntiabant imaginibus formis ac lineamentis circumscribendis, idcirco carebant imaginibus terminatis, quarum potius accidentia formas imaginum habendas esse, explicatum est supra, (p. 6.) Sed, quocumque modo vel aras, vel fana, vel templa, vel simulacra deorum instituebant, ad terminationem idearum, nunc rudem, nunc consummatam, delabebantur.[28]) Neque a cultu jam memorato, mysteria, quae dicuntur, adhibente, illo quidem utique non minus adventicio, quam terminationem sequente,[29]) imaginum inventio magis aliena existimanda est, quam a propria qualicumque deorum colendorum ratione, quam plurimae Graecorum gentes, pro sua quaeque indole, amplectebantur. Alterum, e natura imaginum divinarum elucens, est, quod tantum speciem auctoritatis veri bonique afferre valent.[30])

[27]) Vid. etiam Schoenium in praef. ed. Bacch., pag. 14, sq.

[28]) O. Müller, Archäol., §. 325 in.

[29]) Cf. Limb.-Brouwer, hist. de la civil. mor. etc. Groen., 1842, VI, 3: „— au contraire, les oracles et les mystères, bien que devant leur origine à ces notions populaires, peuvent être considérés comme des moyens, employés par un petit nombre d'individus pour modifier les idées déjà existantes ou même pour obtenir quelque influence tant sur la marche générale des événemens que sur le sort des individus; cit. C. Fr. Hermann, gr. Ant., II, §. 6, n. 10.

[30]) Qualem rationem quem fugit Pythiae fuisse, quam Goettlingius, (praef. ad Hesiod. p. XIV), „totius Graeciae religionis cultusque firmum quoddam fundamentum" celebrat? Egregia hercle illa firmitas, qua. ut V. D. ipse p. XV verissime docet, pro nominibus rerum praedicata earum offerrentur! (Plutarch. de Pyth. oraculo, 24.) Nec vero solum, neque etiam omni constans aetate illud „fundamentum". Vel in ipsis *῎Εργοις καὶ ῾Ημέραις* permulta insunt, quae non sentiant sacrae sedis ambiguitatem, sed simplicitate quadam vigeant atque innocentia; de quibus bene disseruit Seneca, ep. 95, 13 sq., cit. Groddeckio in init. hist. Graecor. litter., I, p. 30. At fundamentum utique sane bonitatis et haec et aoidorum omnium et Delphica, idque speciosum. Quae enim in his quidem ante oculos est speciosa auctoritas, ac quidem poetica, ea propria videtur tum Hesiodi praeceptis, quae nollem „intermixta" modo esse mythologicis narrationibus Groddeckius scripsisset, tum Homericis carminibus, quae quidem a nulla re magis ab-

Tertium, quod, quae facinora cogitationesne vel ad ultimum pietatis, sive θεοσεβείας efferebantur, cum sola tamen specie finis se ipsum exsequentis intelligenda sunt. Ideae enim, vel universae, vel singulae e pietate sive facinoris, sive cogitationis sic pellucere apparent, ut illa e substantia ideae pellucente orta putanda sit; sive ad idearum universitatem, sive ad singulas ideas species pertinet.[31]) Et hoc facile intelligitur, in θεοσεβείᾳ, imo bonitate omni, substantiam ideae, nullis accidentibus conformatae, talem auctoritatem pellucere, ut consecutionis notio caussae accedat, inseparabilis illa ab exsistentia, cujus rationem sequentes ideas exsistere vidimus. Confusae ergo, quum pro veritate, tum pro bonitate, notiones caussae et consecutionis in ideae substantiam, quippe quae tamquam finis se exsequens et hanc et illam contineat, cum utraque quidem e bonis pulchrisque facinoribus pellucens. Unde facillime perspicitur, neque ex ideae specie eam exoriri posse bonitatis auctoritatem, quam dei a mundo sejuncti et aeterni exsistentis afferri nemo nostrum nescit; et pulcherrimorum factorum pretium esse levissimum, quippe quae, ut oriebatur a principio, accidentium infirmitate libera, nihil ipsa quam accidentia cernantur; et impulsum istum speciosum, vel maxime in ultimo θεοσεβείας appellari principium hujus, ubi vel prosper, vel incertus, vel indifferens consideratur eventus, denegari, sicubi ruere accidentia intelliguntur. Nihil Antigonae exemplo ad hanc rem firmandam aptius, quae, profecta a numinum inferorum auctoritate, in divinam qualemcumque invehitur,[32]) ubi pessime ea sibi consultum esse sensit. — Quarto loco, quoniam consentaneum est, dei supremi imaginem in eo consistere, ut sit species finis se exsequentis universi, non cogitari ille potest creator mundi, neque vero terminari imagine, videlicet, quia idea, mundum

---

horrent, quam a natura praeceptionis. Nam auctoritas, quae non sustinet quaestionem, cur sit, nec, cur maxime auctoritas sit, nec, quae praecipit in quovis genere, cur ea praecipiat, ut intelligi possit, haec bene praecipi: ista auctoritas pellucere modo in animum dicenda est; quia, non explorato, nec cur, neque ergo, utrum sequenda sit, cognosci nequit, utrum ad vera et bona pertineat, necne. Neque ideo vera est, nec commenticia; nec non est, nec vero est auctoritas. Etsi igitur, quae e tali auctoritate deducuntur, ex hoc suo fonte non conficiuntur, commenticia non esse, potest tamen, ut ratione commendentur. Sed ne ita quidem fontem suum speciosum firmant; quia non exploratum, illum exsistere, nedum, si exsistat, quare illis in rebus vis ejus inesse dicenda sit. Non ergo hae res firmare valent auctoritatem suam, sed haec rursus speciosa apparet. Itaque, quae fluunt ex ista, si vera et bona esse, ratio docet, impulsio probabilis, si falsa et mala, magnum periculum speciosa auctoritas, quod translaticia est. Cadunt autem haec omnia in divinam, quam exhibent et Homerus et Hesiodus et Pythia, auctoritatem. Unde est, ut, quamvis simplicitate non magis quam gravitate Hesiodia quidem, velut de justitia et juribus jurandis praecepta, (Op. et D., v. 279 sq. Göttling.), excellant, universa tamen „antiqua ista sapientia nihil aliud quam facienda et vitanda praecipiat;“ (Sen. l. l.) idque satis ambitiose. Nam mercedem et poenas praeceptorum suorum adhibet fundamentum; ac quidem, quod ad has attinet, imaginem exsecrabilis illius rationis auspicata, qua insontibus calamitas omnis patienda videatur, hac de re, quod a sontibus originem ducunt, (O. et D. v. 280 sq.) Summa est: bonitatis auctoritas, sicubi quae diis tribuitur, speciosa existimanda est, quod non nititur in hoc, ut bonum idcirco fiat, quia bonum est, i. e. in substantia bonitatis, (p. 5); quae res tam male habebat Senecam, ut lamentaretur: „docemur disputare, non vivere,“ (l. l.)

[31]) Quam valde tam Graeci, quam Romani a divina virtutis auctoritate etiam speciosa abhorrerent, testis est Cicero, N. D. III, 36: „— virtutem autem nemo umquam acceptam deo retulit — — num quis, quod bonus vir esset, gratias diis egit umquam? — — Jovemque optimum maximum appellant — —, non, quod nos justos, temperatos, sapientes efficiat. — Quamvis licet Menti delubra, et Virtuti et Fidei consecremus; tamen haec in nobis ipsis sita videmus.“ Attamen videndum nobis erit de memorabili pietatis exemplo, divinae auctoritati tributae; quod Sophocles proposuit. Huc enim faciunt quum alii Antigonae loci, tum vv. 913 sqq., male illi quidem ab interpretibus detorsi. Et his speciosae auctoritatis nec propriam naturam, nec vitium magnamque infirmitatem, neque ideam eam, pro qua stetit Antigona, illustrandam melius quicquam probare poterat, quam ipsius loci inde a v. 910 usque ad 916 tenor.

[32]) V. 910 sq. Wex. Est dubitatio in versibus, qui sequuntur, saepius significata; qua rem aliqua neque esse, neque vero non esse, dicatur. Cf. Cic. N. D. II, 35: „Dubitat“ primo, quae sit ea natura, quam cernit ignotam, (Argo).

vi sejuncta creatum esse, Graecis[33]) ignota erat, neque illa quidem in Platone,[34]) neque etiam in Stoicis[35]) perspicua. Contra, ut ideae universae in imagine numinis supremi pellucerent, et fieri poterat et necesse erat, quo quidem sensu epicorum πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, tragicorum πάντα κραίνων[36]) accipiendus videtur. Itidem sequitur, quum ab initio finis se ipsum exsequens, imo specierum universitas, cum substantia sua, sive tamquam caussa sua secum aequabilis et consecutio sua, ex imagine dei supremi non posset non pellucere, essent tamen steriles adhuc specierum inter se disjunctarum, primam speciem quodammodo absolutam fuisse, (cf. p. 8), quam quidem, valde imperfecta terminatione ob id ipsum, quod erat absoluta, nunc symbolo, nunc ampliore visu aliquo,[37]) nunc tantum non nullo usam esse, nihil est, quod miremur. Quae ipsa absoluta species quum, increscente idearum varietate, abundanti et abundanti magis conformatione exciperetur, quum aliis in rebus tum in eo remansit, ut numen supremum indifferenter ac praecipue consecutionis caussaeque imago nihil desineret terminari. — Quae si ita sunt, hoc facile perspicitur, ideas, eandem legem ac species sequentes, in se ipsas se assimulare, quali ratione species se in semet ipsas assimulare, explicatum est. (Pag. 7.) Neque illud judicatu difficile, verum effectum, sive speciem ideae, hujus substantiam continere. Nam non solum, ut cujusvis rei, ita ideae substantia efficitur specie; sed etiam, vel ex idearum definitione, sequitur, quum species omnes, tum ideas caussarum suarum aequabilitatem, de qua supra diximus, (pag. 5), in eo nancisci, ut ad specierum cum imaginum suarum indifferentiam redeant. Ad substantiam igitur suam revocantur ideae speciebus suis. Dupliciter autem, consentaneum est, ideas se assimulasse, tum in specie sua, tum substantiam suam speciei suae opponentes; non secus atque ipsas species. Quod si transfertur in deos, conficitur, quo proprius ad substantiam suam accedebant, eo magis et ipsis derogatum esse, et ipsos necessitudinem suam rationalem appetivisse; hoc autem accidisse necessario. Qua in re quaecumque de diis judicabantur, ad species pertinentia, et in deorum natura veros effectus spectabant, ea fieri non potuit, quin de integritote deorum derogarentur. Talia autem, ex imaginum terminandarum notione sequitur, habenda esse, quaecumque aliquis sic de diis sentiebat, ut ea aliud quicquam continerent, quam sententiam: hoc, vel illud pellucet in diis, sive: neque est, neque vero non est. Nam, qui ita de re quapiam sentit, is eam rem pellucere sentit in animum suum. Quodsi quis quocumque numero reprehendit deorum providentiam, ut Hyllus,[38]) is dei, quem reprehendit, imaginem, imo deum, ad speciem trahit. Qui vero, deos, vel esse, vel non esse, itidem, vel hanc, vel illam deorum naturam esse, sive contendunt, sive negant, sive firmare student argumentis, sive efficere interpretando: hi omnes, quasi e finibus

---

[33]) Invito Welckero. V. tamen, quae vir eruditissimus de hac re disputavit in Gr. Götterl. I, 193 sq.; 195 sq.; „Zeus ist nicht schlechthin über, weil nicht ausser der Natur, aber er ist, wie das Licht über der dunklen Materie, über der Natur als das Haupt. Cf. I, 276, de O. Muelleri sententia. De Jove φυτουργῷ v. Aesch. Suppl. vv. 585—600 Dind., coll. G. Hermanno, de ellipsi et pleon., l. c., p. 151; de Platonis sententia de rep. X, 597, D, coll. Tim. p. 526 ed. Lugd., Cic. N. D. I, 12.

[34]) In Plotino nimirum, cit. Creuz. ad Cic. N. D. II, 31.

[35]) Scholl. Wyttenb. ad Cic. ib. II, 7. — Ad Romanorum rationem dijudicandam multum facit locus qui exstat valde memorabilis ib. III, 4, fin.: „quasi vero“ etc. Cf. pag. 8 sq.

[36]) Assimulata utraque in ἰδέαν, (speciem), τοῦ ἀγαθοῦ Platonicam. Hoc esse numen supremum, equidem fateor me non posse non efficere e loco, qui est: de rep. VI, 506 C. Fr. Herm., qui tamen aliter sensit.

[37]) Cf. Welck. l. l.; pag. 12.

[38]) Trachin. in fin.

terminationis egressi ejusque rationem praecise negantes, dissolvere deos judicandi sunt et tollere funditus.[39]) Accedit, quod necessarium imaginis attributum perturbatur, quotiescumque vel vituperando vel negando assimulatio instituitur: oblectatio[40]) scilicet, quam perciperent, oportebat, res, nulla ex parte secum communicatas,[41]) uberrime quum terminantes, tum conformantes; ut incredibile sit, quam levis momenti ea in re sint conformata, eorumque utilitas, quasi recti praeceptio, pravique depulsio; quam gravis ipsissima, ut ita dicam, conformatio.[42]) Unde fit, ut qui primi, vel levi vituperatione, at ea tamen utique veniente contra terminationis proprietatem, assimulationem aggrediuntur. ii nihil odii non habeant, aut specie absoluta alioquin servanda, vel etiam tectiore ceterarum imaginum ratione instituenda, adeo nihil intelligantur, ut tamquam intra ipsos sentiendi fine versantes, perpetua *θεοφιλῶν* commendatione et fama gaudeant.[43])

---

[39]) Ne Hesiodus quidem ista vituperatione intactus; quae res nonnihil facit ad chronologiam Hesiodiam. Multo autem minus Hesiodiarum interpretamentorum interpretes, velut Zeno. Vidit hoc Cicero, N. D. I, 14. Solenni certe errore Herodotus Hesiodum Homero l. c. conjunxit. Cf. etiam Plat. legg. p. 288 ed. Ast.

[40]) Ne ab Aegyptiis quidem, quorum imagines in ipsa molis molesta diuturnitate substantia adeo carerent tamque curta uterentur terminatione, ut, ista Graecos deos proseminatos esse, hodie vix cuiquam placere possit. Tantae discrepantiae, oculos ferientis monumenta, in museis quae asservantur, perlustrantium, exemplum habes Graecorum Linum, Aegyptiorum Manèro oppositum, (confusas Brugschio, die Adoniskl. u. das Linoslied, Berl., 1852; cf. Creuz. Symb. II, 421 sq.), in eo memorabile, quod venustissima Graecorum imago apud Aegyptios, voluptate destituta tractaque ad utilitatem, fabella anilis apparet. Ceterum cf. de universo hoc loco et quae ipse disputavit et quae attullit aliena C. Fr. Hermannus, ant. II, §. 3.

[41]) Non ausim contendere, Ciceronem, l. l. I, 12, vel potius Epicureum, eam solam memorare „voluptatem," quam sentiant dii.

[42]) Fugit hoc Sylvestrem Mutkium, de theol. Soph., prol. gymn. Neissens., 1858, religionem Graecorum „tristissimam" dicentem. Quod cur credatur, affert V. D. deos Sophocleos maleque Schillero obloquitur, qui deos Graecos „die heitern" appellans antiquitatem non pernoverit. At Mutkius non pernovit Schillerum. Docere illum poterant, (praeter ipsam imaginum, vel maxime in gravibus rebus versantium, oblectationem notissimam), quae disseruit optimus poeta in „naive u. sent. Dicht.", XII, p. 203, n.:

„Wer bei sich auf den Eindruck merkt, den naive Dichtungen auf ihn machen, und den Antheil, der dem Inhalt daran gebührt, davon abzusondern im Stande ist, der wird diesen Eindruck, auch selbst bei sehr pathetischen Gegenständen, immer fröhlich, immer rein, immer ruhig finden — — das macht, weil wir uns bei naiven Dichtungen, sie handeln auch, wovon sie wollen, immer über die Wahrheit, über die Gegenwart des leidigen Objectes in unserer Einbildungskraft erfreuen und auch weiter nichts, als diese suchen." (Cf. etiam egregium illud: „Und der Streit zog in des Skamanders Feld; doch die Schönheit war immer der Gott der Welt." „Die 4 Weltalter," Stroph. 7.) Hac sane ratione fieri non potest, ut Oedipus cum Gregorio, cui nomen est „auf dem Stein," comparetur, (l. c. p. 19).

[43]) Cic. de div. I, 25; Hieron. Rhod. ap auct. vit. Soph. Hoc satis constat, Sophoclem religioso cultu educatum esse. Cf. etiam de vita quae exposuit Bernhardy Grdr. d. gr. Lit., II, 2. p. 290 sq.; Welck. l. c. III, 279.

§. 2. De theologia Euripidea.

„*Ἥ τε τραγῳδία ὅλως σοφὸν δοκεῖ εἶναι* (?), *καὶ ὁ Εὐριπίδης διαφέρων ἐν αὐτῇ.*"
Plat. de rep. VIII, 568, A.

Redeuntes ad illud, unde digrediebamur, Aristophaneum, satis jam probasse videmur, reprehensionem istam — quae erat deorum apud Graecos quum natura propria, tum assimulandorum ratio necessaria — verissimam fuisse. Dixit autem Aristophanes:[44]) *τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς*, h. e., ne quidem: convertit animos Atheniensium sic, ut non crederent, deos esse; sed potius: ut crederent, imo dicerent, deos non esse. Quid igitur reliquit civibus, a quo salutem peterent et bonitatem? Quippe non is erat, cui utraque constituenda non cordi esset. Quid voluit „*δαίμονας*" proficere hominibus? Ut Ennium, verbo videlicet, imitemur, si „aspicere" non amplius licuit homini Atheniensi luculentissimum deae illius praesidium, cujus in tutela Athenas esse voluerunt; si augustissimum nusquam *τὸν Νικηφόρον*; si quaecumque ex Homero hauriebant morum ac religionis unica incrementa, ea desererent oportuit: ad quam tandem normam vitam dirigerent, a quo, vel sapientiam, vel boni pravive conscientiam sumerent, voluit, qua perturbata jacent omnia? Hanc in animis hominum inesse censuit Euripides, quin ipsa deorum vel rerum sacrarum cura habenda sit? Ita sane censuit. Quapropter, cum diligenti quadam rerum humanarum consideratione,[45]) de moribus et virtute sua sibi finxit praecepta, quae, nullis quidem artibus conclusa, tam argumentis fabularum pertractandis liberiusque etiam commutandis, quam singulorum dictorum ubertate enunciaret. Nihil autem verius mundum contemplanti objiciebatur, quam, in rerum natura aliis rebus ex aliis usquequaque fluentibus, ut nihil certi maneat, earum, quae mentis et animi sint, nullam vere interire;[46]) attamen res humanas fluctuare perpetuo omnes, fortunamque inter et miseriam vitam hominum suspensam esse omnem. Ac quidem sic, ut res adversae secundis, secundae adversis quodammodo misceantur, unde illud: *τοιόςδε θνητῶν τῶν ταλαιπώρων βίος· | οὔτ' εὐτυχεῖ τὸ πάμπαν οὔτε δυςτυχεῖ, | εὐδαιμονεῖ τε καὖθις οὐκ εὐδαιμονεῖ*;[47]) atque in Aeolo:[48]) *οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά.* Res tam dubiae atque incertae unde primum hominibus exorirentur; quae tandem sit malorum radix; unde ipsi adeo *οἱ ταλαίπωροι* originem traherent: haec ut difficilius perspiciuntur, ita animum ducunt ad enodationem. *Ἤδη πότ' ἄλλως νυκτὸς ἐν μακρῷ χρονῷ, | θνητῶν ἐφρόντισ', ᾗ διέφθαρται βίος.*[49]) Nam et scire dignum et malorum levamen habere videtur aliquod. *Πέμψον μὲν φῶς ψυχὰς ἀνδρῶν | τοῖς βουλομένοις ἄθλους προμαθεῖν, | πόθεν ἔβλαστον, τίς ῥίζα κακῶν, | τίνα δεῖ μακάρων ἐκθυσαμένους | εὑρεῖν μόχθων ἀνάπαυλαν.*[50]) In tanto discrimine offertur illud, quod expeditiorem aliquanto, vix

---

[44]) Thesmoph. 457.
[45]) Hipp. 375.
[46]) Frgm. Chrysippi VI.
[47]) Antiop. Frgm. XLIV. Simillimum Sophoclis: *ταλαίπ. γένος*, frg. 682.
[48]) Aeol. Frgm. II.
[49]) Hipp. l. l.
[50]) Frgm. inc. CLV.

duriorem minus reddere valet quaestionem; scilicet, quoniam non datur, quos, ne esse animantes quidem, imo potius esse, nolumus, eos expiare sacrificiis, hoc, inquam, ipsam vicissitudinem, in rerum natura conspicuam, non temeritati, sed certo cuidam ordini obtemperare; contra in factis hominum nihil constare, quam inconstantiam, [51]) quamvis eorum nullum prorsus intereat. Homines enim, mortales generati, *ἀθάνατον ὀργήν*, h. e. furorem divinum, intra pectora sua concipientes, non solum a semet ipsis, sed etiam a rerum natura magnopere dissident. [51]) E qua quum maxime pendeant, fieri non potest, quin neque perpetuis vexentur infortuniis, neque, quo majore ad facinora sua impetu trahuntur, eo magis affligantur. Concentum igitur ac consensum, in natura rerum perspicuos; tum hominum et cum ipsis et cum illa dissensionem; hac denique mundi convenientiam continuo migratam: istas res, nunc cunctas, nunc sejunctas, sive *φύσιν*, sive *ἀνάγκην*, sive *μοῖραν*, sive *ἀνάγκην φύσεος* intelligimus. Quarum rerum quum nullam fere moderationem habeamus, sapientis est, nihil fato irasci, sed concedere necessitati eamque aequo animo ferre: *ὅςτις δ'ἀνάγκῃ συγκεχώρηκεν βροτῶν, | σοφὸς παρ' ἡμῖν καὶ τὰ θεῖ 'ἐπίσταται;* [52]) neque ingemescere: *τί ταῦτα δεῖ | στένειν ἅπερ δεῖ κατὰ φύσιν διεκπερᾶν; | δεινὸν γὰρ οὐδὲν τῶν ἀναγκαίων βροτοῖς,* [53]) sed collocare juste: *τοῖς πράγμασιν γὰρ οὐχὶ θυμοῦσθαι χρεών. | μέλει γὰρ αὐτοῖς οὐδέν· ἀλλ' ὁὐντυγχάνων | τὰ πράγματ' ὀρθῶς ἢν τιθῇ, πράσσει καλῶς,* [54]) neque in deos stomachum erumpere, scilicet, quod opinionis sunt, non naturae: *ἀνδρῶν γάρ ἐστιν ἐνδίκων τε καὶ σοφῶν, | ἐν τοῖς κακοῖσι μὴ τεθυμῶσθαι θεοῖς.* [55]) Ad priorem sententiam pertinet etiam illud in Antiopa, extr.: *τί δῆτ' ἐν ὄλβῳ μὴ σαφεῖ βεβηκότες | οὐ ζῶμεν ὡς ἥδιστα, μὴ λυπούμενοι;* Decet enim omnino mortales mortalia cognoscere: *μή νυν τὰ θνητὰ θνητὸς ὢν ἀγνωμόνει.* [56]) Praeclare vero cum istiusmodi animi aequitate convenit hominum nonnullorum tragicorum ratio, quorum quidem longe sedatissimus Admetus. Cui quum praesentem salutem a Parcis Apollo impetravisset ea conditione, ut aliquis sponte pro illo mortem subiret, quum omnes amicos, tum parentes flagitabat Admetus, ut se devoverent. [57]) A quibus repulsus graviter filius in patrem invehi, quem vel hac ratione de tanta mercede non debuisse recusare existimet, quod ad finem jam vitae pervenerit. [58]) Rationem adeo detestabilem excogitasse quemquam! Usque eo turpitudinis ab humanitate deerrasse poetam Graecum! At non laudatur Admeti ista ratio. Verum enimvero ne vituperatur quidem; nec me intelligere fateor, qui ratione tam perdita vel memoranda non turpissime labi poeta dicendus sit. Nimirum incredibilis illius sententiae specimen quoddam abominabile: *τί δῆτ'* etc. Igitur dissensus, hominis naturae dupliciter adhaerentis, deorum quidem praesidio, conciliatio nulla, quoniam sublati sunt penitus. Neque credere, deos esse possumus; quod sane per se fieri possit, licet cogitatione imagines divinas sustulerimus.

---

[51]) Disparatio, saepe exagitata ab Aristophane; cf. Nub. 1292.
[52]) Frg. inc. 120.
[53]) Hypsip. Frg. 6.
[54]) Belleroph. Frg. 28.
[55]) Frgm. Aesch. 315 Herm. At „*Εὐριπίδου*“ Stobaeus.
[56]) Frgm. inc. CL. Soph. Trach. 473: *θνητὴν φρονοῦσαν θνητά*, saepius. Cf. El 1171 Br.: *θνητοῦ πέφυκας πατρὸς, 'Ηλ., φρόνει κ. τ. λ.*
[57]) Alc. 12 sq. Wuestem.
[58]) 658 ib.

At enim non quadrat hoc in Euripidem. Nam, si credidisset deos, non a libera meditatione, sed ab auctoritate deorum principia bonitatis, ea nimirum, quae modo ei placebant, duxisset. — Quodsi deos aequalium suae aetatis abjecit, aliine dii Euripidi placuerunt? Saepius certe *τὰ θεῖα* et *θεούς* urget. [59]) Quinam sunt isti dii? quae tandem „divina“, quibus vita humana regeretur, vellet? Illi quum non essent aequalium aetatis Euripideae, ne divina quidem ex iisdem fluere existimari possunt. Quae enim haec dementia: non sunt dii, quos vos confitemini; sed haec ab iisdem habetis divina, quae scire oportet; quasi divina sine diis esse possint! Sed fluunt illa e novis numinibus, ut hoc pronuncietur: qui aequum sibi in malis animum servat ceditque necessitati, (scilicet ut Admetus); qui justi vere sunt et sapientes: neque irascuntur, non quidem diis illis, quos vos adoratis, sed his, quos novos vobis propono; et norunt divina, non quidem vestrorum numinum, sed novorum, quae me auctore velim probetis. Non, ut de diis aliter Athenienses sentirent, atque antea fecerant, voluit; non eos mutare opinionem suam de diis jussit, ut hi integri essent; sed rebus sacris, in quibus acquiescebant Athenienses, exstinctis civibusque ereptis, novas toties qualescumque moliebatur, quoties *θεῖα* sua urgebat. Atqui novi dii Euripidei erantne vanae simulationis? Si quos, quales substituit? Voluitne, idearum imagines haberentur, an, ut homines sic ex illis penderent, ut crederent? His quaestionibus respondetur sententia, quae vel sola totum locum conficit. Dixit enim Euripides: *Ζεύς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεος, εἴτε νοῦς βροτῶν;* [60]) cui sententiae addendum Anaxagoreum illud: *τὸν νοῦν ἡμῶν ἑκάστου εἶναι θεόν.* [61]) Quod utrum scripserit, necne, nullius omnino momenti. Anaxagoram et magistrum et philosophiae quendam antistitem suumque exemplum habuit, cujus instituta tam crebris sententiis in fabulis suis sereret, ut philosophi praecepta e poetae versibus colligi possent. [62]) Illud in Troadibus certe scripsit. Et quidem ineptissimum utroque versus nomine; sive „*Ζεύς*“ dici Atheniensium, sive novus qualiscumque Euripidis putatur. Aut enim sentiendo terminandae, aut credendae mens vel necessitas intelliguntur; tertium non datur, si summum quidem deum, at deum tamen *εἴτ' ἀνάγκην φύσεος, εἴτε νοῦν βροτῶν* significamus. At ubi, quaeso, imago mentis istius divinae in fabulis Euripidis? Redundant sane „intelligentiae supremae“ *διακοσμήσεσιν* [63]) ad finem usque satietatis, imprimis, quas ad mores relatas exemplo insigni tetigimus: imaginem frustra quaesiveris istius ideae, ne non figuratae quidem: usque eo friget sententiarum late diffusarum strepitus squalidissimus. Nec magis in ullo Euripidis versu mentem vel necessitatem credendam inveneris. Quod quidem Jovem res humanas inique administrantem reprehendit: [64]) illud non tangit novum qualecumque numen, sed id ipsum, quod maxime ejusmodi vituperatione in speciem ideae assimulare, negatione dissolvere funditus, placuit. Verum necessarii illius vel humanitus exsistentis dei quae praesens rerum temperatio, qui ipse, sive natura, sive mens ponitur, in magna volubilitate versetur atque intemperantia? Quae ejusdem pronoea, quam ne Anaxagoreum quidem

---

[59]) Cf. p. 16.
[60]) Troad. 886.
[61]) Valckenarius, Diatribe in Eurip. perditorum dramatum reliquias, p. 238.
[62]) Valcken. l. c. pp. 34—57.
[63]) Significata Anaxagorae sententia a Plat., Phaed. p. 72, D.
[64]) *"Ωφειλε δῆθεν, εἴπερ ἔστ' ἐν οὐρανῷ, Ζεύς μὴ τὸν αὐτὸν δυςτυχῆ καθεστάναι,* ap. Athenag. 6. Cf. p. 16.

νοῦν efficere, nemo adhuc dubitavit, nisi illi, qui *ἀσεβείας* apud Graecos accusatos[65]) quasi vera pietate oppressos celebrent, aut, quae magis etiam solivaga opinio, pro veritate sua tantam jacturam fecisse putent? Quae morum perfectio? quae denique vis sejuncta et providentia? Num id providere nobis dicamus, quod maxime nostrum est? Quae inde salus perpetua, quae firma constansque petenda incolumitas? Aut quomodo sive mentem nostram, sive rerum necessitudinem nos bene moratos efficere existimemus? Istaene, quas in nobismet ipsis sitas videamus, quasi vitae duces nobis et magistrae officiorum? A nostra mente, a rerum necessitudine sapientiam sumamus? hae nos aequos, justos, temperatos reddant fore speremus? Fac cogites, rerum necessitudinem, etsi non temeritatem, sed ordinem in vicissitudine sequentem, perquam volubilem esse, mentem autem, si quidem est „*βροτῶν*“, *ἀθανάτῳ* quidem *ὀργῇ*, at *ὀργῇ* tamen esse affectam! Nimirum specie quidem veri, etsi nullis firmata argumentis, bona illa omnia menti, vel necessitati tribui possent, ut contradictio nulla esset, nisi d e u m alterutram Euripides appellasset. Quod autem mentem deum dicit, hoc, posito, de deo, a mundo sejuncto, agi, primum verum non est; sed contradictionem habet in praedicato. In tali enim deo insit, oportet vis sejuncta; propter hanc creditur. In intelligentia autem nostra nequaquam inest vis sejuncta, sed unitas;[66]) quae si cum qualitate cogitanda est, at ne ita quidem intelligentiae idea vis sejuncta dici potest. Nimirum c r e d e r e licet, sic ut sentire, quum omnes ideas, tum intelligentiae; at non dixit ille: credenda cum religione intelligentia deus est, sed dixit: intelligentia deus est. Sequitur, contradictione insulsissima deum supremum proponi intelligentiam hominum. At pronunciavit illud Euripides; ac primo videndum, ut intelligatur, deinde, utrum vituperandus sit. Pronunciavit sane; sed ut inepte pronunciatum, ita secundo loco ne genuina quidem poetae sententia, sed hyperbole est, eaque insipiens. Etenim quum fabularum argumentis, tum sententiis singulis satis illucescit, Euripidem vim, a mundo sejunctam, menti non tribuisse, neque ergo credidisse illam deum. Bacchas quidem, quas supra tetigimus, ad finem vitae scriptas,[67]) in ipsa Dionysii imagine, delibata illa ac corrupta, omnino non vim divinam illustrare, nec novam, nec translaticiam, opus non est, illis persuadere, qui secum reputare velint, Pentheum, quum maxime interit, ideam suam victricem repraesentare. Cernitur autem principis illius idea in jure rerum sacrarum, novarum quidem, at sacrarum tamen, pervestigandarum.[68]) Neque in sententiarum tanta profluentia quidquam inveniri potest, de mentis vel physica, vel ethica ratione pronunciatum, ex quo vim singularem et sejunctam illa sic vindicare possit, ut Euripidi deus visa esse existimanda sit. Contra sexcentis locis hoc emanat, omnem beatitudinem e libera hominum dispositione pendere. Imprimis memorabilis ille, quo ne mentis quidem, sed rerum omnium sacrarum naturam in

[65]) V. Groddeck. in. hist. Graec. litt. p. 107.

[66]) Cf. p. 7.)

[67]) Cf. Schoenium praef. ed. Bacch. p. 20 sq. Ceterum vix dupliciter recensae Bacchae.

[68]) Hoc fugisse videtur Schoenium, quum recte V. D. novitatem dei, principi invisi, premat. Quae nihil impedit, quin Tiresiae chorique „*νόμιμα*“ ac „*παραδοχάς*“ aggredi Pentheus dicendus sit. — Idem V. D. si naturam tragoediae paullo majore cognitione dignam duxisset, qua a re nimirum tot VV. DD. abhorrere videmus: miratus profecto non esset, quod nulla est Penthei catastropha, sive, ut V. D. verbis utar, „eine innerliche Besiegung seiner irrthümlichen, (sic), Ueberzeugung, (p. 18.) In tali sane refutatione consistere debebat principis catastropha, ut similis evaderet Creonti, „*ματαίῳ*“ isti, (Soph. Ant., 1307 Wex.), si illam adeo, nec potius ideam, ipso hominis tragici interitu celebrandam, poeta spectavisset.

hac re cognoscenda, (*ἐπίσταται*), positam esse, propositum invenimus,[69]) ut necessitati cedatur: *ὅςτις δ' ἀνάγκῃ κ. τ. λ.* Igitur hoc posito, res divinas, quas homines *ἐπίστασθαι* oportet, mentis dici: qualem istam divinitatem animo finxisse Euripidem dicamus, quam vitae rationis, tam vulgaris quam ambitiosae auctoritate effici ostentaret; praesertim quum ad spem immortalitatis non magis illo mentis, quam alio quopiam *θείῳ*, excitari posset?[70]) Ita efficitur, vim mentis dignam quae credatur ab Euripide non esse statutam.

Quae quum ita sint, poeta id, quod reapse praedicare vellet de intelligentiae idea, scilicet, esse illam omnium rerum summam et perfectionem, minus aperta ratione sic edidisse judicandus est, ut *νοῦν* deum diceret; idque, quia de s u b s t a n t i a dei supremi pronunciatum est, duplici in ipsa hyperbole repugnantia, sive imago, sive cum religione credendus deus intelligitur; utique tamen studio, Jovis imaginis assimulandae in ideae, quae in eo pellucet, speciem, sive substantiam. Quodsi ex Euripidis sententia nec mentis, nec necessitatis idea deum constituit, sed tamen perfectio habenda est universa: hoc quoque confitendum, ne aliam quidem qualemcumque divinitatem illi placuisse, neque eum aliam notitiam, quam dei singularis, i n a n i m o h a b u i s s e, quam ipsam, qua usi sumus identidem; quippe providentiae a mundo sejunctae. Hanc vero maxime utraque sententia: *Ζεύς, εἴτ' ἀνάγκη κ. τ. λ.* et: *τὸν νοῦν ἡμῶν ἑκάστου κ. τ. λ.*, satis jam pertractata, rejecisse judicandus est, pronuncians ille non solum: „providentia v e s t r a nulla est,“ imo vero etiam: „nulla o m n i n o est providentia.“ Sin autem, id quod nemo negaverit, ipsa illa rerum sacrarum notitia eam religionem efficit, quae Graecorum excepit, quam inania dicamus, tam, quae nonnulli cum sententiae quadam perseverantia vocare solent Euripidis: „wahre Gottesverehrung“, „religiösen Sinn“, „ewige Weltordnungen“;[71]) quam, quae Valckenarius de poeta probare conabatur, quasi praecursore quodam religionis Christianae, quacum animo conjuntus fuerit.[72]) — Ac nos quidem nimis multa de re apertissima. Itaque sententiam Euripidis brevi comprehendamus. Primum: diis suae aetatis nihil tribuit; sed penitus illos exstinxit; ut brevi res praecidatur: eorum numina non sensit, sed cogitavit, ut tolleret. Hac igitur adeo intentione in fabulas inductos secundo non credidit tamquam vim boni vel veri a mundo sejunctam. Tertio: nullum aliud numen, neque sentiretur, neque crederetur, voluit. Sed quarto: mentis humanae cum idea absoluta aequabilitatem tamquam philosophema proposuit, quo minime gentium religionem comprobaret vel pietatem. Et ista aequabilitas, ut nullis firmata argumentis, sed pura puta opinio, ita ab Euripide quidem ad speciem eoque ad substantiam suam redacta non est. Nam, quidquid jactat Hecuba,[73]) quidquid ceteri *νοῦ θεοῦ* praecones, vix eorum quisquam de hac re tibi probaverit, ultimam perfectionem ratione necessaria in intelligentia hominum sitam esse. Magistrum, si quid sapio,

[69]) Frg. inc. 120.

[70]) Cf. Bernhardy l. l. II, 2, p. 364.

[71]) Bernhardius l. c., p. 365, 366. Quid sibi velit V. D., cujus omnes admiramur ubertatem, pauciores simplicitatem dicendi, p. 368 fabulas Euripidis „Aktenstücke der reinsten religiösen Stimmung“ significans, me haerere fateor; nec, qui possit, intelligo, ut non inter se repugnent sententiae, quae sunt pp. 368 et 371, illa: „— eine durch Zeus als ihren Vermittler wirkende Gerechtigkeit (?) setzt allen menschlichen Dingen ein Ziel“; haec: „wo die vergeltende (?) Hand der Götter fehlt, da giebt es für Euripides keine Götter.“

[72]) V. dedicationem, quam vocant, in initio Diatribes.

[73]) Troad. 848 Both., quem cf. ad loc.

ne intellexit quidem discipulus. Non enim „νοῦν βροτῶν“, sed „νοῦν“ ille fecit omnium rerum ordinatorem: πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ· εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε.[74]) Discessit certe poeta a philosopho in eo, quod hic, si quidem Plutarchi auctoritas credenda est, principium ordinationis esse **νοῦν**, certo pronunciavit:[75]) τοῖς ὅλοις πρῶτος οὐ τύχην οὐδ' ἀνάγκην, διακοσμήσεως ἀρχήν, ἀλλὰ νοῦν ἐπέστησε καθαρὸν καὶ ἄκρατον, ille dubitavit, utrum νοῦς an ἀνάγκη principium esset. Deinde in hac re, ut poeta ordinationis principium, **νοῦν** videlicet, absurdissima hyperbole cum Jove confunderet in illo: *Ζεύς εἴτ' ἀνάγκη* etc.; id quod non fecit philosophus, Jovem elementum interpretatus, ut idem videretur atque αἰθήρ. Quem quod aliis locis sequitur[76]) ea in re discipulus, novam repugnantiam efficit; accedentem ad illam, qua **νοῦς** deus dicitur. Convenit autem inter utrumque his rebus, ut neque Anaxagoras in Plutarchico illo, neque Euripides in loco, proxime citato, **νοῦν** creatorem dicat, sed modo principium ordinans; deinde, ut neuter hanc rem firmet argumentis; denique, ut uterque suspicionem de intelligentia haberet, tamquam de fine universo, se ipsum exsequente, sive de idea absoluta; quum non assequerentur, id ipsum, ut idea se exsequatur, necessitudinem ejus constituere, ideamque hanc suam necessitudinem caussam suam aequabilem habere; ut se exsequens aequabilis secum maneat. Itaque, propositi difficultatem praetervolans, Euripides quidem simpliciter: idearum perfectio necessitas est, aut certe, id quod levius etiam, sit, potest; Anaxagoras sincerius, ne periculum quidem faciens ultimi rerum omnium cum idea quasi conflatus: accessit **νοῦς** ad materiam eamque ordinat; ut non liqueat, utrum ille, *διακοσμήσεως ἀρχή*, posterior materia, (*τοῖς ὅλοις*), putandus sit, quo posito hoc, ut ordinaret materiam, menti n e c e s s a r i u m cogitandum est; an prior, quo sumpto, ea res menti n o n necessaria conficitur. Atque Euripides vel propter tantum ratiocinationis vitium meruit hercle sortem Socraticam; nec, quod, in eodem cum isto suo familiari *βυθῷ ἀθεότητος* immersus, ambustus evasit, suae veritati, sed Atheniensium acceptum retulit bonitati. Quibus fere satis erat, pro oblectatione imaginum divinarum integra pasci scenae, misericordiae inquam; quo in genere adeo Euripides excelluit, ut inde immeritam *τραγικωτάτου ποιητῶν*[77]) laudem sibi pareret. — Igitur ideae, imo idea absoluta, etsi ad substantiam suam ab Euripide nequaquam adductae, hoc tamen ipso, ut indefinita ejus substantiae qualitas, notio scilicet necessitatis, i d e a m i p s a m efficere, etsi temere et mera suspicione, pronunciaretur, fabulis illius poetae „**σοφωτάταις**“ assimulabant se in se ipsas, sive in substantiam suam dupliciter. Quod quidem ita factum est, ut i m a g i n e s suas ideae in se assimularent; absoluta autem idea J o v i s imaginem suam, quae vel necessitas, vel *νοῦς* esse diceretur. Etenim, ut cujuslibet rei natura substantia ejus rei, ita ideae natura substantia ideae continetur. Imagini autem ideae hoc proprium, ut substantia ejus nec sit, nec vero non sit in imagine, sed pelluceat. Quodsi quis imaginem ideae nihilo secius substantiam ideae, aut ejus substantiae qualitatem duntaxat indefinitam, necessitatem scilicet, esse pronunciat, eum, conficitur, imaginem ideae huic ipsi similiorem reddere, sive ideae imaginem in substantiam ideae assimulare, sive denique

---

[74]) Plat. Phaed., p. 72. D.
[75]) Plut. vit. Periclis, c. 4; Tom. II, p. 105 Tauchn.
[76]) Cic. N. D. II, 25.
[77]) Aristot. poet. c. XIII, 10.

imaginem ad similitudinem speciei, quae substanstiam comprehendat, revocare aggredi. Haec omnia quum idem efficiant, evidentissima tamen ac perspicua maxime ea, quum poetarum nonnullorum, tum philosophorum assimulandi ratio, qua ad similitudinem specierum deos revocare studerent. Et Euripides quidem illa, de qua supra explicatum est,[78]) ratione duplici, altera, philosophandi, adventicia, sive externa; altera, poetica, interna. Illius sunt decreta, vel Anaxagorea, vel propria, sparsa in fabulis poetae frequentissima extraque omnem cum argumentis nexum. In his igitur unici imaginum divinarum nitoris destructio omnis, ideaeque necessitudinem suam rationalem speciei suae objicientes. Talia habes de Jove cosmogonica et ethica, alia interpretamenta, cum ipsa praecisa negatione, qualem in illo: *οὐδένα γὰρ — κακόν* invenimus, minime vero cum deorum integritate, ut ita dicam, habitantia. Poeticae assimulationis sunt, quae spectant ad deorum in argumentis fabularum partes disponendas. In hac re iterum imaginum divinarum dissolutio. Quas, quis crediderit, usque eo spoliari potuisse propria sua natura, ut, notione indistinctae, pro meris formulis haberentur, quibus concluditur idearum repraesentatio? Et tamen ista vice funguntur dii in quattuor fabularum, (Medeae, Andromachae, Baccharum, Helenae), exodis, quibus, quae sexcenties audiverant Athenienses praecepta, iisdem verbis decantentur. At profecto quidvis patiebantur a poetis et philosophis suis aetate, qua imaginum abundantia in artibus non solum liberalibus, imo etiam in omni cultu vitaeque genere, tam publicae quam privatae, evanesceret, rerumque permultarum non amplius placeret pulchritudo, sed affectari inciperet ratio ac finis, quibus eluceret, quae esset earum rerum verus effectus, excludens ille speciei temeritatem; quae denique idearum, non jam speciosa in imaginibus, sed necessaria in substantia veritatis et bonitatis auctoritas. Quam rem ebulliens fere Euripides nihil magis expedivit, quam sic, ut alteram Jovis sui commenticii faciem, qua veluti ad delubra sua ille spectabat, exstinguens, alteram, ad ideae absolutae substantiam intentam, incerta mixti propositi luce tantum non obscuraret. Sinceriores, aliquanto et iidem feliciores, philosophi, quotquot et Jovis et ceterorum deorum imagines interpretati ad physicam vel ethicam rationem accommodare sumpserunt; ut magis magisque de tanto decore detraheretur, usque ad consummatam in Aristotele assimulationem. Atque ad hunc a Thalete, ab Homero ad Euripidem iter fecerunt ideae unum idemque, quoad imagines suas in se assimulabant.

---

[78]) Pag. 20.

---

§. 3. De diis Sophocleis, ratione maxime habita fabularum, quae in cyclo Thebano versantur.

„— οἷον καὶ Σοφοκλῆς ἔφη αὐτὸς μὲν οἵους δεῖ ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ οἷοι εἰσί —"
Arist. poet. c. 25, 10 Imm. Bekker.

„— ὥςτε τῇ μὲν ὁ αὐτὸς ἂν εἴη μιμητὴς Ὁμήρῳ Σοφοκλῆς· μιμοῦνται γὰρ ἄμφω σπουδαίους· τῇ δὲ Ἀριστοφάνει· πράττοντες γὰρ μιμοῦνται ἄμφω.
Ib. c. 4 Buhle.

„Was wir als Schönheit hier empfinden,
Wird einst als Wahrheit uns entgegengehen.
Schiller, „die Künstler."

Quae quum ita sint, in idearum imaginibus assimulandis, posito, Sophoclem quoque versatum esse, quem Euripideae aetati aequalem fere scimus,[79]) quales partes is in progressu assimulationis suscepisse dicendus est? Aut, hoc sumpto, eum deos ne imagines quidem idearum, sed providentiam, a mundo sejunctam, habuisse, qualem rerum humanarum curam diis attribuit? Prior quidem propositio, deos imagines idearum poetae visos esse, hac imprimis re commendari videtur, quod de diis saepius sic locutus est, ut hoc vel illud, iis proprium, neque esse, neque vero non esse, i. e. pellucere modo, pronunciaret;[80]) quali ratione vix utatur is, qui deum providentiam credit. Eo enim in genere hoc p raecipue vigeat, necesse est: non potest, ut non sit providentia ejusque auctoritas, quia manifestata est; ideoque creditur. Illa igitur propositio si vera esse appareat, inter omnes quidem convenerit vel modice in Sophocle versatos, studium assimulandi, i. e. eam operam, ut imagines deorum ad species redigerentur suas, non talem in illius, atque in Euripidis fabulis, offerri, quum neque interpretamentorum, quibus diceretur: deus vel *νοῦς*, vel *ἀνάγκη*, vel aliud quidquid intelligendus est, studiosum; neque negandi cupidum Sophocles se ostendat. Attamen, ob id ipsum adamatus Atheniensibus, quod speciem imaginum divinarum non destruxit — haec adeo res displicuit in Euripide — lectoribus vel paullo attentioribus et vituperatione deorum et hominum tragicorum ratione adversus ipsius Jovis, *πάντα κραίνοντος*, administrationem illustranda, adjuvisse videatur ad imaginem ideae perfectae, imo veri bonique, qualiscumque illa, si modo est Sophoclis, in fabulis ejus occurrit, substantiae illius ideae similiorem efficiendam. Sed, ne anticipetur quaestionis discrimen, premere modo liceat, quae de motu fortunae, a Jove gubernando, et fati necessitate aequalibus Sophocleae aetatis placerent, quippe quae alicujus duntaxat momenti videantur ad Sophoclis rationem, quamvis non constituendam, at certe dijudicandam. Sunt autem illa par-

[79]) Cf. Vitam Sophoclis: *μετὰ λύρας γυμνὸς ἀληλιμμένος τοῖς παιανίζουσι τῶν ἐπινικίων* (sc. Salaminiorum) *ἐξῆρχε*; coll. Bernhardio l. c. p. 351.

[80]) Ai. 1036 sqq. Br.; Antig. 913 sqq. Priore loco Teucer, nisi vehementer fallor, Euripidis illud: *οὐδένα γὰρ οἶμαι δαιμόνων ειναι κακόν* reprehendit. Quod si verum est, Iphigeniae in Tauris Euripideae annus paullo prior, quam Ol. 89, 1 videtur, quod in temporis spatium ab Ol. 89, 1 ad Ol. 89, 4 Sophoclis Aiax cadit; (cf. Schoell. l. c. p. 240.) Fateor tamen, aetatem Iphigeniae Aulidensis parum juvare hanc conjecturam.

tim Aeschylea, partim Euripidea, partim Aristophanea; haec quidem popularia, Euripidea adventiciae rationis taedii dilatata, Aeschylea denique internae[81]) tragicae rationis et gravitate et simplicitate comprehensa. Voluit enim Aristophanes, hac adeo sententia: *τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς*, quasi fracta virgula, Euripidis praecipue istud: *οὐδένα γαρ — κακόν* condemnans, staret casca opinio,[82]) e qua Juppiter cum Furia conjunctus ad cujusvis generis mala et scelera mortales insontes trahere videretur, nullo quidem pacto ob eam rem vituperandus. Placuit Aeschylo, fortunae motum a Moeris gubernari, quarum ea in re sociae viderentur Furiae „ultrices," praefectae illae muneri suo et quasi inauguratae a *Μοίρᾳ*, ut utraque numina, nemini parentia, motum fortune e lege necessitatis gubernent. Huc adde, *Μοίρας* (Furiasque) ab Aeschylo dici gubernaculum necessitatis ministrare, deinde, ne Jovem quidem effugere valere, quae necessitas tulerit; denique, id quod *Μοῖρα*, (*τελεσφόρος*), fert, vocabulo *κραίνω* significari.[83]) Sequitur, necessitatem constantem cogitandam esse ac quidem eo demum significare aliquid, quod movetur a *Μοίραις*, hoc scilicet, ut fortuna hominum eo perveniat, quo necessitas cogit. Non autem praeter fortunam cogitari potest necessitas, non magis, quam gubernaculum praeter navem; nec, quae necessitate ministranda fortunam moderari hominum dicuntur, praeter ipsum fortunae vehiculum animo fingi possunt; non magis, quam gubernator extra navem fingi potest. Ita efficitur, ut necessitas quidem constans sit in ambigua fortunae jactatione, at ea tamen fortunas vel secundas, vel adversas neque efficere, neque prohibere valeat. *Μοῖραι* autem ideae necessitatis ministrandae pellucent, quia hoc adeo peragentes nemini parere, sed se ipsas et ipsae sese dirigere videntur. Quod si ita est, *Μοῖρα* universae necessitatis, tamquam finis se ipsum exsequentis, imago habenda est. Atque hanc adeo necessitatem, ut tertium Euripidem audiamus, ab isto incredibili orationis luxurie ac temeritate in falsum auctam videmus, quam pro ipso universo fine semet exsequente, i. e. pro idea absoluta venditaret; quum ne evicisset quidem, quid modo mundi necessitati cum Jovis maxime substantia commune esset. Atqui, ut necessitas universa accidens suum habet fortunas hominum, vel secundas, vel adversas, quae circa illam evanescant, adeo ipsa rursus ideae absolutae substantiam minime quidem constituit, sed ejus substantiae accidens existimanda est. Intelligi autem poterit, si quidem vel necessitatis universae, vel universi finis se ipsum exsequentis, vel utriusque rei notio in fabulis Sophoclis occurrant, maximi in hac quaestione momenti esse, dijudicare, quid id sit apud Sophoclem, quod Aeschylus *Μοῖραν*, sive necessitatem universam appellavit; tum, qua ratione hujus et finis universi cogitationes in fabulis Sophoclis cohaereant. Hoc autem si effecerimus, clarum erit, quo modo Sophocles hasce res inter se conjunxerit; primum Jovem, deinde necessitatem, tum idearum universitatem, imo ideam absolutam, postremo ideas eas, quas homines tragici repraesentant.

[81]) Cf. pag. 7.

[82]) Il. *τ*, 87; Od. *ο*, 234; ille locus de magna injuria, quam Agamemnon Achilli intulit; hic de bobus, a Melampo raptis. Illic Juppiter cum Furia et Moera conjunctus, hic Furia sola injuriae auctor. Utroque in loco de mente divinitus occaecanda agitur. Quam calamitatem quo pacto Agamemnon, imo etiam Achilles quoque, meruerit, hoc tacet Welckerus l. l. III, 85, dicit tamen pag. 79: „Dass Erinnys das den Stamm der Hellenen tief durchdringende sittliche Gefühl ausdrückt." Paullo supra ostendit „das Strafamt der göttlichen Erinnys."

[83]) Aesch. Prom. 511 sqq.; Eum. 335 Dindorf; coll. Eum. 950 sqq. *Κραίνω*, quod Sophocli de Jove usitatum, de Moera est in Aesch. Prom. 512, cum *πέπρωται* conjunctum; *ἐπικραίνειν* in Septem c. Theb., v. 887, Eum. 951.

Quas ad res explicandas etsi haec quaestio Sophoclea se confert et convertit, fieri non potest, quin, si illae patuerint, liqueat, quo pacto Euripideum istud: Ζεύς, εἴτ' ἀνάγκη, εἴτε νοῦς βροτῶν, si quidem quid attinet ad sententiam Sophoclis, hujus poetae fabulis excitari posset. Atque ad Jovem pertinet stasimon, quod est in Antigona, v. 580 sqq., de calamitate continuanda.

Mixta quidem esse omnibus rebus secundis, quarum Juppiter auctor videatur, adversa, ab eodem illata, chorus statuit in Trach.;[84]) tantum malorum auctor idem deus videtur in calamitate propaganda. Quippe deos, aut universos, aut singulos, malorum cujusvis generis auctores faciens Sophocles[85]) curam ἄτης quam vocat, Jovi propriam tribuit. Quo vocabulo quum mala per se, tum calamitatem ab aliis, sive hominibus, sive gentibus, aliis propagatam significat. Qua in re interest, utrum prima calamitas culpa admissa acciderit, necne. Ubi culpa admissa non est, dii auctores calamitatis dicuntur.

Versibus, qui praecedunt, Creo, nullis neque precibus, neque argumentis motus, in injustissimo proposito, cujus sero catastrophae calamitatem accipientem poenituit,[86]) se perseverare, declaraverat; mox, sororibus in carcerem deductis, chorus prodit. Carmen ejus e duabus strophis constat, quarum utramque antistropha sequitur. Priore quidem stropha senes sortem laudant eorum, qui vitam, a malis liberam, agant. Malum enim si semel inciderit, totam domum calamitate opprimi.

V. 580.[87]) Εὐδαίμονες etc. „Fortunati, qui nulla mala experientes vitam agunt.“ Εὐδαίμονες dicuntur, quibus nil nisi fausta dii δαίμονες mittunt. „Die Günstlinge der Götter,“ ut rectissime Schneidewinus. Κακῶν ἄγευστος αἴων, sc. ἐστί. Ἄγευστος active: μὴ γευσάμενος. Cf. Phil.:[88]) ἀμφιπλήκτων ῥοθίων; Eur. Hec.[89]): ὕποπτος, suspicans, ib. exempla Porsoni; Matth. Gr. Gr. §. 447, 2.

V. 581. Σεισθῇ labefactata fuerit, de prima calamitate. Conjunctivus Praesentis vel Aoristi in sententiis relativis, praecedente particula ἄν, res quae fieri possunt, ita indicat, ut, sive praesentes, sive praeteritae videantur, nullo pacto de eo agatur, quod, illas res fieri posse, cogitetur; quae quidem est vis Optativi, proprie, ob id ipsum, designantis veri et similia et non similia. Quoniam autem, quae fieri possunt, saepissime tamquam futura cogitantur, ex illa propria Conjunctivi vi is usus ortus est, quo tempus futurum significari, vulgo traditur.[90]) Chorus, ἂν σεισθῇ dicens, duplici ratione rem, quae et fieri potest et, de rebus ex ea manantibus, (v. 583), tamquam peracta animo fingitur, significat. Particulam ἄν Atticis in sententiis relativis, ad tempus spectantibus, fere usitatam esse, satis constat. Qua lege omitteretur, explicavit Stallbaumius ad Plat. Gorg.,[91]) ad Protag.[92]) Addere poterat V. D., ἄν in talibus sententiis saepius ante Praesentis, rarissime ante Aoristi Conjunctivum omitti.

[84]) v. 126 Wund.

[85]) Frgm. Phaedr. ap. Bothium, p. 65, v. 6; Ai. 426 sq.; El. 683 sq.; Frgm. Alet. ap. Both., p. 187, v. 5 sq., Teucri ib. p. 176, 2, v. 4 sq.; Ai., 460; Phil. 190; de Apolline ib. v. 332; de Minerva Ai. 51; de Jove, Furiis et Justitia ib. v. 1301 sqq.; de Jove solo frgm. Phaedr. Both. p. 63, 1, v. 2, Trach., 303 sq. ed. Wund.

[86]) V. praeclaros dochmios v. 1339 sqq. Br.

[87]) ed. Wunderianae.

[88]) v. 679 Wund.

[89]) v. 1109 Lang.

[90]) Rost. gr. gr. ed. VI, p. 591.

[91]) p. 484, E.

[92]) p. 345, D.

V. 582. Ἕρπον. Minus placet et Wunderi et Schneidewini ratio, qui constructionem insolitam putantes, ἕρπον pro ἑρπούσης dictum accipere videntur. Quod neque intelligitur, qui Graece fieri possit; nec, etiamsi justa esset locutio, ad sensum illa quadrat. Non enim de eo agitur, quod malis vacent, quae numero turbaeque gentis obrepant, sed de eo potius, quod obrepere adeo malo cogitentur. Itaque ἕρπον ad ἐλλείπει referas, quod quidem verbum eodem jure, ac medium ἐλλείπεσθαι, participium poni facit; ut sensus sit: nulla malorum continuatione carent. Cf. Kühner. ad Xenoph. Comment.[93])

Ἐπὶ πλῆθος etc. Non quidem πλήθει γενεᾶς obrepit calamitas, sed γενεᾷ, eique πληθούσῃ. Sed substantivum (πλῆθος), loco adjectivi vel participii positum, alterius substantivi genitivo adjungitur, ex quo vel ipsum cogitatione quidem pendet. Cf. Aristoph. Plut.[94]): χρυσὸν ἐπῶν, i. e. ἔπη χρυσᾶ. Alienus ab hoc substantivi usu ille est, quo Genitivus loco adjectivi vel participii ponitur, ((ὁ τῆς ἡσυχίας βίοτος pro βίος ἥσυχος.) Quas res diversissimas Matthiaeus[95]) confudisse videtur.

V. 583. Ὁμοῖον etc. In antistrophae v. 592 libri omnes consentiunt. Quocirca, quum illic sententia sit clara et simplex, veri simile est, Sophoclem h. l. non scripsisse, quod in libris est: ὁμοῖον ὥςτε ποντίας ἁλὸς οἶδμα δυςπνόοις ὅταν etc. Laurentiani quidem A lectione ποντίαις, quae e secunda manu est, locus nihil emendatur. Duae syllabae delendae sunt. Wunderus, quem Schneidewinus secutus est, in voce ἁλὸς offendit. Jam, ἔρεβος ὕφαλον sive Nominativus, sive Accusativus, verbo ἐπιδράμῃ jungendus, intelligitur, caput sententiae vocibus κυλίνδει βυσσόθεν κ. τ. λ. continetur. Talem comparationem Sophocleam esse, equidem nullo pacto credere possum. Cum calamitate enim, ab aliis ad alios progrediente, non fluctus, arenas ex imo evolvens, sed maris tenebras percurrens, recte comparatur. Non in rebus, quas efficit fluctus, sed in via, quam illas efficiens sequitur, tertium quod vocatur comparationis versatur. Quae quum ita sint, Sophocles ὅταν certe non scripsit, sed aut οἶδμα δυςπνόοις ἁλὸς Θρῄσσῃσιν etc., aut alia, quae idem valeant. Itaque quum prior quidem lectio simillima sit librorum, legendum est:

ὁμοῖον ὥςτε ποντίαις
οἶδμα δυςπνόοις ἁλὸς κ. τ. λ.

Construas: ὁμ. ὥςτε οἶδμα ἁλ. ἐπιδρ. ἔρεβ. ὕφαλ. πνοαῖς ποντίαις Θρῄσσῃσιν δυςπνόοις: „ut maris fluctus, vehementibus ventis Thraciis, a mari (Thracio) venientibus, agitatus, tenebras marinas percurrit.“

Ποντίαις. Hanc genuinam lectionem, ab Hermanno receptam, Laur. sec. m. revocavit. Nam vulgata ποντίας facili negotio probabilitatis, quod vocant argumento refutatur, quo quidem nemo subtilius usus esse videtur, quam Vir Magnus, Aug. Böckhius. Correctoris est, qui in adjectivis cumulatis haereret. Eadem ratio Schneidewini. At monendum videtur, voces Θρῄσσῃσιν πνοαῖς ποντίαις quasi unam notionem efficere: („ventis, qui a mari Thracio oriuntur“), cui δυςπνόοις attributum sit.

Οἶδμα ἁλὸς, frequentissimum poetis epicis et tragicis. Hom. h. Apoll.: οἶδμ' ἅλιον; cf. h. Cerer.[96]): οἶδμα θαλάσσης.

[93]) 4, 3, 17; 2, 6, 5.

[94]) V. 268 Brunck.

[95]) Gramm. gr. §. 430, 5.

[96]) V. 14.

Θρήσσῃσιν. Perperam Brunckius *Θρῄσσῃσιν*. Ventos dicit, a septentrionali maris Aegaei parte, quae *πόντος Θρηΐκιος* vocabatur, flantes, in primis Boream et Zephyrum.[97])

Δυςπνόοις, (Il.[98]): *Ζέφυρος δυςαής*.), *Πν. δύςπν.* sunt venti, quibus, quod vehementius flant, vix repugnari potest.

Ἐπιδράμῃ. Schol.: *ἀντὶ τοῦ ἐκ βάθους κινήσῃ τὴν θάλατταν*, quae quidem verba Papius s. v. *ἐπιτρέχειν* secus interpretatur: „das Meeresdunkel durchstürmt.“ Aliud enim est: percurrere, aliud evolvere mare. Verbum *ἐπιτρ.* h. l. simili sensu „percurrere, pervagari“ declarat, atque in Herodoti loco:[99]) *χώρην ἐπέδραμον, κώμας πάσας;* idque ea praepositionis *ἐπί* vi, qua in compositis, (*ἐπάλληλοι*), successionem notat. Cf. Hoogeven. ad Vig.,[100]) Zeun. ib.[101]) Fluctus, in profundo exortus, ab alia tenebrarum parte ad aliam, sive ab aliis tenebris ad alias pervenit, i. e. ipsas tenebras percurrit. Ex iis, quae v. 586 sequuntur, patet, fluctum non ad libram, sed ad lineam mare percurrentem intelligi.

Βυσσόθεν, non quidem: „ex fundo,“ (Wund.), sed: „e profundo,“ quod vocabulo *βυσσός*, (nimirum ionice pro *βυθός*), significatur. Cf. egregium locum, qui est apud Aesch. in Prometheo[102]): *στένει βυθός κ. τ. λ.* Sophocles certo non ignorabat, fluctum minime in ima, sed in superiore aqua oriri, ut vel turbulentissima tempestate mare inferius tranquillum maneat. Itaque arenae evolvi dicuntur vel ex syrtibus, vel e medio mari, ubi quidem creberrimas cumulari inter omnes constat.

V. 585. Post *πνοαῖς* ponas colon. Versibus, qui praecedunt, quum via, quam fluctus sequi solet, una cum calamitatis progressu comparanda, descripta esset, jam de ejusdem impetu agitur.

Δυςάνεμον. Schol.: *τὴν ὑπὸ ἀνέμων ταραχθεῖσαν*.

Δ'. Particulam *μὲν* in priore membro, sequente *δὲ*, et in soluta et in devincta oratione saepius omittitur: primum, si eadem res duplici respectu memoratur, (Dind. ad O. C.[103]), deinde, si altera alteri opponitur. V. exempla ap. Zeun. ad Vig.[104]) In aliis sententiis particulam *μὲν* praetermitti, oratione soluta, tuo jure negaveris. (Cf. Aesch. Prom. l. l.: *στένει βυθός, κελαινὸς Ἄϊδος δ'ὑποβρέμει μυχὸς γᾶς*.) Invicem de particula *δὲ* omittenda v. Herm. ad Eurip. Phoen.[105])

Ἀντιπλῆγες. Hanc vocem Papius in vocabular. hoc modo interpretatus est: „entgegenschlagend; Soph. Antig. *ἀντιπλ. ἀκταί*, das von Wogen gepeitschte Ufer.“ Quod aut non scribere, aut explicare debebat V. D. Schneidewinus: „weil sie den Rückschlag der Wellen fühlen.“ Hoc, credam vix adduci possum, praepositione *ἀντί* significari. *Ἀντιπλ. ἀκταί* dicuntur litora, quae, quum fluctus in ea se illidat, percutiantur, ut non de eo agatur, quod

[97]) Cf. quae attulit Jacobi, Handwörterb. der gr. u. röm. Mythol., p. 884.
[98]) ψ, 280.
[99]) VIII, 23, 32.
[100]) p. 623, n. 81.
[101]) p. 628, n. 2.
[102]) V. 432 Dind.
[103]) V. 322 Herm.
[104]) p. 536, n. 75.
[105]) V. 643. Fieri illud consentaneum est, ubi suppressa est sententia, in qua poni debebat *δέ;* cf. Eur. Or. v. 8.

fluctus se illidat, sed de eo, quod litora, *στόνῳ βρέμοντα*, percutiantur. Hoc enim solum nexus sententiae requirit. Contra simile quidem vocabulum *ἀντίτυπος* in parodi loco,[106]) (*ἀντιτύπᾳ δ'ἐπὶ γᾷ*), eximiae quidem illo gravitatis, ita positum est, ut magis Capaneus, caput terrae illidens, quam terra, eo percussa, respiciatur.

Metra strophae haec videntur:

– –́ ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏑ –́ ⏓ –́ ⏑ –, ⏓, tripod. anap. tripliciter log. cat.

†– ⏓ †– ⏓, –́ ⏑ ⏑, –́ ⏑ ⏑, –́ ⏓, trim. dact. cat. in disyll. cum bas. dupl.

†– ⏓ †– ⏓, –́ ⏑ ⏑, –́ ⏑ ⏑, –́ ⏑ – ⏓, dim. dact. dupliciter log. acat. cum bas. dupl.

⏓ –́ ⏑ –, ⏓ –́ ⏑ ⏓, dim. jamb. acat.

–́ ⏑ – ⏓, –́ ⏑ ⏓, dim. troch. cat.

⏓ –́ ⏑ ⏑⏑, ⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏑⏑, ⏓ –́ ⏑ ⏓, trim. jamb. acat.

⏑ –́ –́, –́ ⏑ – ⏓, –́ ⏓ ‖ –́ ⏑ – ⏓, –́ ⏑ ⏓, bacch., trip. troch. c. syll. anc., dim. tr. cat.

⏓ –́ ⏑ –, ⏓ –́ ⏑ – ⏓, –́ ⏓, trim. jamb. catal.

V. 586: „*κυλίνδει — δυςάνεμον*“ *ἀσυνάρτητος* qui vocatur propter syllabam ancipitem ante commissuram. Prior quidem series per arsim arsi exceptam fortissime incedit, ut simillimus versus Antig.: *κελαιναὶ νᾶες ἐκφύγοιεν*. Quod Wunderus in initio utriusque versus „antispastum“ quem dicit, statuit, thesis thesim sequens et a Pindaro et a tragicis aliena est. (Cf. Boeckhii prooem. lect. Berolin. 1827.)

In antistropha chorus sententiae de calamitate continuata exemplum proponit gentem Labdacidarum, a Laio usque ad Antigonam continuis malis vexatam.

V. 589 sq. *Ἀρχαῖα-πίπτοντ'*. Non possum assentiri Wundero et Schneidewino, *πήματα* non ad priora mala, posterioribus excepta, sed ad posteriora, quae priora excipiant, referentibus. Nam, quum et in stropha[107]) et in antistropha[108]) progrediens calamitas commemoretur, consentaneum est, de eadem, neque vero de succedentibus malis in antistrophae initio agi. Itaque construendum est: *ἀρχαῖα δρῶμαι τὰ πήματα οἴκων Λαβδακιδᾶν φθιτῶν πίπτοντ' ἐπὶ πήμασι*: „mala domuum Labdacidarum, qui interierant, antiquitus malis excepta video.“

Ἀρχαῖα rectissime Wunderus monet, non tam adjectivi, quam adverbii vice fungi, ut idem sit, atque *ἐξ ἀρχῆς*.[109]) Sponte enim apparet, *ἀρχαῖα* non ad *πήματα* referri posse, quoniam chorus quum antiqua, tum novissima gentis mala respicit.[110])

Οἴκων Λαβδ. φθιτ. Interest inter *οἶκος Λαβδάκειος* et *οἶκος Λαβδακιδᾶν*, ideoque inter *οἶκοι Λαβδάκειοι* et *οἶκοι Λαβδακιδᾶν*. *Οἶκος Λαβδάκειος* primum a Labdaco primo

[106]) V. 134 Wund.
[107]) V. 582.
[108]) V. 591 sqq.
[109]) Ct. Matth. l. c. §. 446, 7.
[110]) V. 593.

gradu descendentes significat, idque duplici ratione, prout aut domus, quoad domesticorum est, aut domestici, quoad domus sunt, intelliguntur. Tam prior, quam posterior ratio etiam verbis *οἶκος Λαβδακιδᾶν* designari potest. Deinde verbis *οἶκος Λαβδάκειος* quaelibet domus, a Labdaco orta, significatur, ut, quum de certa quadam domo cogitetur, iisdem verbis et ad eam ascendentes et ab ea descendentes indicari possint, quoniam omnes a Labdaco originem trahunt. Eadem triplex est ratio verborum *οἶκος Λαβδακιδᾶν*, nisi quod ,,domus, a Labdacidis orta,“ accuratius Genitivo,[111]) quam adjectivo denotatur. Ubi vero *οἶκος Λαβδακιδᾶν* quamlibet domum, a Labdaco ortam, quoad continetur domesticis, significat, Genitivus materiae est; conta, ubi de domo est, quoad continet domesticos, elementa designantur. At considerandum id paullo accuratius videtur. Genitivum propra vi significare rem, cujus aliud quid accidens sit, verissime docuit G. Hermannus; etsi nonnullis in rebus facere non possumus, quin aliter sentiamus, ac Vir Summus.[112]) Inde sequitur, duobus modis Genitivum usurpari posse, ,,primo sic, ut, quod alicujus rei est, quid sit hujus rei dicatur; altero, ut universe dicatur, aliquid alicujus rei esse, non definito, utrum pars, an proprietas, an effectus, an quidquid demum sit,“ velut:[113]) *οἱ χαρίεντες τῶν ἀνθρώπων, δῖα θεάων, εἴτε βροτῶν.*[114])

[111]) Cf. Matth. §. 373, 374.

[112]) De ellipsi et pleonasmo in Graeca lingua, in Wolfii et Buttmanni museo antiquitatis studiorum. V. pagg. 137, 140, 149, 150, 151 sq.

[113]) Cit. Herm. l. l.

[114]) Inseramus huic loco nonnulla de attributis imaginum. Poterat Vir Praestantissimus hunc usum accidentis indefiniti, illum definiti denominare; quamvis fieri possit, ut eadam locutio, prout nexus orationis requirit, aut hoc, aut illud habenda sit. Accidentis enim notionem ille usus habet, quod videlicet non dicitur, attributum subjecti naturam efficere; indefiniti accidentis, quod non de eo agitur, attributum quid sit subjecti; nec de eo, quod subjecti nulla alia natura animo fingatur, quam ea, quae arguitur attributo: sed de hoc tantum, ut nihil aliud significetur, quam id, quod subjecto et attributo inter se conjunctis efficitur. Contra, ubi genitivus accidentis definiti est, hoc quidem perinde significatur; agitur autem de eo maxime, quod nulla alia subjecti natura animo fingatur, quam ea, quae attributo arguitur, (id quod in adjectione quidem bene Galli quoque attributo subjectum sequente exprimere solent), quod quid sit illius naturae, denotatur. Quodsi, accidente indefinito, dicitur: δῖα θεάων, non de eo agitur, quid sint deae numinis, quod dicitur divini splendoris, sive specie divina illustre, (male Dammius s. v.: ,,δῖος notat maxime venerabilem et suspicandum“); nec do eo, quod talium numinum nullum aliud animo fingatur, quam id, quod θεάων dicitur. Quod primum ineptum esset, quia illorum numinum nullum ne cogitari quidem potest, quin id dearum sit. [Quod de diis non est similis locutio, metricae rationis videtur.] Nam quod dicitur δῖα γυναικῶν, (Od. δ, 305), id ipsum ne de numine quidem est, sed de homine; neque δῖος ista in locutione notat specie divina illustrem, sed quasi illustrem. Deinde supervacaneum illud esset, quod e nomine deae, aut memorato, aut intelligendo satis liquet, numen δῖον dearum esse. Sed de hoc uno agitur, ubi δῖα θεάων accidente indefinito dicitur, ut nulla alia natura significetur, quam modo numen divini splendoris, quod quidem perhibetur dearum esse; eaque natura ita terminatur, humanae naturae opposita. Sin autem quis dicit: ἁ Διὸς θεός, (Soph. Ai. 401; cf. ib. 952, Br.), is hoc maxime curat, ut nulla alia dea intelligatur, quam ea, quam a Jove ortam dicit; eamque ita pellucere sentit in animum suum. Etenim quaecumque imaginibus quidem attribuuntur, ea sic attribui, consentaneum est, ut in illis pellucere dicantur. Nam, quod res in imagine neque est, neque non est, ne id quidem, quod attribuitur imagini, aliter attribui potest, quam sic, ut pellucere in illa dicatur. Quicumque enim, quae res sint in imagine, dicit, is eas res non attribuit imagini, sed substantiae, quae pellucet in illa, eoque ipso imaginem in speciem ejus assimulat, ratione quidem externa atque adventicia. Illud autem, ut attributum aliquod pellucere in imagine dicatur, tribus modis fieri potest, qui assimulationem iidem omnes habere apparebunt, eamque internam. Primum sic, ut circa imaginem neque esse, neque non esse attributum dicatur. Et haec quidem adjectio. Altero sic, ut aliquid pellucere dicatur imaginis et id, quod pellucet, negetur, illius non esse, quum non dicatur, ne quidem, non esse imaginis, sed, quid tandem ejus sit. Hanc videre licet, accidentis indefiniti esse rationem. Tertio sic, ut, quod pellucere sentitur imaginis, quid ejus pelluceat, prodatur. Hanc

Ex his apertum est, *οἴκων Λαβδακιδᾶν* chorum varia ratione sic dicere potuisse. Poterat enim intelligere primum domos, quarum universe diceret, Labdacidas esse, (nos: „die Labdakidenhäuser“), (Genitivus accidentis indefiniti); secundo domus, a Labdacidis ortas, (conse-

perspicuum est rationem sequi accidens definitum. Unde duae res sequuntur. Primum, speciem eam, quacum accidente indefinito attribuitur aliquid imagini, differre paullo tam ab ea, quacum substantia rei in imagine pellucet, quam ab ea specie, quacum adjicitur imagini aliquid. Excedit enim substantiam versus utramque hanc speciem accidentis indefiniti species, quo primum dicatur, esse aliquid imaginis, id quod cognitionem perfectiorem praestat, quam, quod dicitur, esse aliquid circa imaginem; deinde, quum non dicatur, quid sit imaginis attributum, asseveretur tamen, hoc esse illius. Clarum est, imaginem accidente indefinito assimulari coepisse in substantiam suam, quo qui utitur, sic sentiat, esse aliquid imaginis, ut id nequaqnam dicatur, non esse illius, sed potius de eo tantum dubitetur, quo tandem modo altera res cum altera cohaereat. Inest vero etiam assimulatio in eo, quod adjicitur aliquid imagini, quum sentiatur, pellucere certe aliquid circa imaginem, et dicatur, quid id sit, quod pellucere sentitur; quamvis ob id ipsum, quod pellucet, non liqueat, utrum sit circa imaginem, necne; nedum, esse illius; aut vero, quid sit imaginis. Quin etiam in substantiae specie assimulatio inest, quod voce imago includitur. Usque eo non datur, specie imaginum integra uti! Altera res sequitur e natura accidentis indefiniti, haec scilicet, ut genitivus huic significando utilis sit. Atque, de divinis quidem imaginibus, accidens, Homero nisi forma: δῖα θεάων non usitatum, recentioribus etiam poetis, ante Aristoteleam duntaxat aetatem florentibus, rarissime placuit; quum adjectionem in Homero maxime redundare constet frequentissimam. Videlicet, quod integritatem speciei proprius est, rem omnino cum dubitatione circa imaginem versari, sentire, quam de hoc uno dubitare, quid tandem sit res imaginis. E quo intelligi quoque poterit, vera esse, quae de imaginibus divinis assimulandis supra disputavimus. Hac enim ipsa adeo negationis forma, ut, in posteriore accidentis indefiniti membro, amplius non terminetur, sicut in posteriore substantiae pellucentis et adjectionis membro:: non est attributum circa imaginem, nec: non est in imagine substantia; sed hoc adeo unum non dicatur, quid sit illud imaginis: hac, inquam, negationis forma receditur ab integritate speciei, essentiam negandam anquirentis. Ad quam membra negationis sic, videre licet, pertinere, ut priore spectetur adeo, posteriore non detur exsistentia. Proxime vero accidens indefinitum ad adjectionem, quin etiam ad speciem accedit, ubi talis imaginis, qualis efficitur subjecto et adjecto, simili quidem illius, cum mirifica quadam cognitionis simplicitate eam maxime naturam pellucere asseveratur, quae generi ei, ad quod subjectum cum adjecto pertinet, propria est. Distat ergo proxime haec ratio, non quidem ab accidentis definiti, sed ab alia ratione indefiniti, qua aliud quidpiam alicujus rei esse, significetur, quam subjecti natura, velut in illo οἱ χαρίεντες τῶν ἀνθρώπων. Prioris autem rationis, jam intelligi potest, esse frequens illud δῖα θεάων, (Il. ξ, 184, de Junone; ς, 205, de Minerva; ib. 388, de Charite; υ, 6, de Thetide; in Odyssea saepius dictum de Circa et Calypso); eaque in locutione ne comparationem quidem inesse ullam, quae Hermanno placuit, nedum superlativi notionem, quam V. D. Papius s. v. δῖος male dicit „die erhabenste.“ Sed plane fieri non potest, ut aliter vertere vocem θεάων indulgeatur, quam: quod dearum est, sc. numen. Quae quum ita sint, δῖα θεάων significat „numen, divina specie illustre, quod dearum est“; ut non, sic ut in illo ἁ Διὸς θεός dea, quae Jovis sit, iis deabus, quae non Jovis sint, numen δῖον, quod θεάων sit, aliis numinibus δίοις, quae non sint θεάων, sed numen δῖον θεάων, quum cuivis alii naturae, tum feminis, humanitus generatis, opponatur. Quod vero Tragici, missa locutione δῖα θεάων, nonnumquam simpliciter deae alicujus nomini vocem δῖα adjecerunt, accidente carentem, velut Sophocles in Ai. v. 757, 771 Br.; Euripides in Phoen. v. 667 G. Herm., (quos locos ad locutionem δῖα θεάων quod Papius adhibet, non inspexit illos V. D.): hac re, tantum abest, ut, vel longiorem assimulandi consuetudinem asciscentes, accidente supersederent, vel perfectiore simplicis adjecti specie uti mallent, quam accidentis, adjecto annexi, ut hujus rationem, quam in Homero invenirent, continuarent, illius annectendi, metrorum ratione moti, mitterent. (Il. β, 820; λ, 723; κ, 290). Prioris rei insigne exemplum, spectans quidem illud ad humanam naturum, habes, quod Neoptolemus Ulyssem Philoct. Sophocl. v. 344 δῖον dicit, quem quum suo jure perosus esset, more Homerico ornet quasi specie divina illustrem. Nam, in quantum paullatim decresceret adjectivum δῖος, nemini ignotum; nec, quod Duentzerus δῖος Ἀχιλλεύς „der herrliche A.“ interpretatur, (init. Il., Padb. 1866), ea de re reprobandus est V.D.; quum δῖαι θεάων conversione Vossiana: „die erhabene Göttin“ naturae amissionem faciant. Illum vero decrescentem locutionis usum breviter tetigisse, satis est, qui nihil attineat ad imagines divinas assimulandas. — Quae quum ita sint, consequitur, primum, bene se habere illud, quod in definitione deorum posuimus, carere deos integros accidentibus substantiae; quae qui conformare in deo tentet, nihil ille conficiet speciem absolutam. Deinde, adjectioni eam assimulandi rationem esse, consentaneum est, qua genera et species rerum definiantur, sic quidem, ut, adjecto sequente subjectum, speciei, quae videlicet in diis eadem est, ac persona, praecedente, generis fere cognitio appetatur. Unde est, ut

cutio); tertio, quas Labdacidae efficerent complures, (effectus); quarto, quae propriae essent Labdacidis, cum notione et ascendentium et descendentium, (proprietas); quinto, quibus singuli Labdacidae exorirentur, cum sola ascendentium notione, (caussa); sexto, omnino domos, quoad Labdacidis consistunt, ut de eo agatur, quod domos continere domesticos cogitetur, imo, sic ut nexus fert sententiae, quot, quales contineant, (elementa); septimo, eandem rem, non autem sic, ut de singulis domesticis agatur, sed sic, ut his ipsis domos contineri cogitetur, (materia). Facile autem intelligitur, hos duos postremos significatus etiam transferri posse ad praecedentes; tum, redire omnes ad Genitivum gentilicium. Et tantum abest, ut parum differat alius ab alio, ut, ubi is, quem nexus orationis anquirit, subjicitur, apta, ubi alius, quamvis similis illi, adhibetur, inepta sententia efficiatur. Atque de singulis domibus, quoad Labdacidas continerent, ut de ipsis adeo membris cogitaretur, accedente notione proprietatis, ut et descendentes et ascendentes respicerenitur, declamare senes, quum voce *Λαβδακιδᾶν*, cum vi quadam praecedente, tum ex eo colligitur, quod in progressu calamitatis nova mala malis singulorum proximae domus Labdacidarum, non autem malis ejus domus continuantur. Quod absurdum esset, quoniam necesse est, ut mala ex domesticis adeo exoriantur. Atqui in progredientem calamitatem intueri chorum, demonstratum est ad v. 589. Ceterum vix opus esse puto, ut dilucide moneatur, quum de ,,Labdacidis“ ante Labdacum cogitari nequeat, diversam rationem esse domuum modo Labdacidarum. Domus enim Labdacidae cujusque non magis tantum ad descendentes ab illo pertinet, quam domus Labdaci ad descendentes a Labdaco. [115]) Jam quum *ἀρχαῖα*, i. e. *ἐξ ἀρχῆς*, fortissime incipiat cantilenam, consequitur, de universa gente chorum cogitare, cujus extremam tunc prolem ipsa pii negotii magnitudine obrutam auditores aspiciebant. Nollem igitur, Hermannus simpliciter ,,gentis“ mala scripsisset, quam quum constet effici familiis, chorum tamen, totam quidem contemplatum, ipsa singularum familiarum mala animo perlustrare, satis jam probasse videar. Et orta quidem misera principum Thebanorum gens a Neptuno, quo pacto tantam calamitatem meruisse choro videtur? Num, idem atque Herodotus de *ἐχθροδαίμοσι* sentiens, ea de re illam afflictam esse, censet, quod ab initio genitoribus suspecta atque invisa esset? Quippe ab initio pervertisse stirpes deus dicitur implacabilis. Quod si sic illum fecisse chorus dicere voluisset, ut ea re Labdaci, imo potius Agenoris, scelus aliquod puniret, consentaneum erat, poenas, non autem mala modo gentis commemorare. Non enim, sana ratione, postulare poterat, ut auditores sentirent, mala Labdacidarum tamquam poenas memorari, quibus illi scelus qualecumque ,,expiarent“, si nusquam indicabat, se, scelus admissum esse, existimare. Nam, quod calamitas ab initio continuata dicitur, non idcirco propter scelus admissum continuata dicitur; ne quidem, ubi mala, velut Tantalidarum, respiciuntur. Sed, quoquo modo de Oedipode et Laio auditores

adjecta ea, quibus qua idea maxime contineri videatur, praecedere soleant subjecto; velut *μητιέτα Ζεύς*, (Il. *α*, 175, 508; *β*, 197, 394; *ζ*, 198; *η*, 478); *ῥοδοδάκτυλος Ἠώς*, (Il, *α*, 477; *ι*, 703). Qua in re omnino nexus orationis respiciendus est, nunc generis, nunc speciei descriptionem requirentis. Duplex vero, de qua dictum est, interna assimulantis cognitionis ratio, altera accidentis, appositione utentis, altera adjectionis, in Homero cum ipsius adeo conformationis ratione ea quasi habitant, qua ideae sic terminarentur, ut deos accidentia earum dicerent; velut in illo *βουλὴ Διός*. Tantum inde ab initio speciei profundendae modum statutum fuisse, nihil miramur, dum hanc rem, ad quam identidem revolvimur, bene teneamus: vix dari, specie imaginum integra uti.

[115]) Thuc. I, 137: ,,— *ὅς κακὰ εἴργασμαι τὸν ὑμέτερον οἶκον, ὅσον χρόνον τὸν σὸν πατέρα ἐπιόντα* etc.

chorum sentire putabant, ante hos culpam admissam poni, nullo pacto cogitare poterant. Quae quum ita sint, non dicit chorus, gentem Labdacidarum a deo afflictam esse, ut culpa auctoris ,,expiaretur.“ Atque afflictam a deo quod dicit, consentaneum est, hunc *σείειν* gentem et *ἐρείπειν* familias ab initio aut alia de re choro videri, aut ideo, quod gentem perosus esset. Itaque stropha *α'* et antistropha *α'* usque ad v. 595 non dicitur: posteri a diis affliguntur ideo, quod majores culpam contraxerant, sed aut temere, aut, quod deorum aliquis majores perosus est, aut ob aliam caussam. Qui ergo contendunt, Sophoclem existimavisse, culpam majorum posteris ,,expiandam“ esse, ii hoc loco sententiam suam firmare nequeunt.

Altero. Mala alia aliis quod excipiuntur, ea choro res necessaria videtur. Fortunatos enim quod in initio strophae illos dicit, qui nulla mala experientes vitam agant: hanc rem non sic probare auditoribus poterat, ut, quorum domus a deo labefactatae fuerint, eos a nullis malis liberos esse, diceret; sed, cum specie duntaxat veri, ita, si, fieri non posse, ostendebat, ut illi a malis liberi essent. Quocirca praesens *ἐλλείπει* in v. 582 W. non temporis est, sed judicii. Jam dubitari vix potest, quin *ἄγευστος κακῶν αἰών* v. 580 W. eorum significetur, imo definatur versu sequente, quorum domus non labefactatae sint. Sensu enim caret particula *γάρ*, nisi versum 580 sic excipi versu v. 581 statuis, ut *αἰῶνι κακῶν ἀγεύστῳ αἰών σεισμοῦ δόμου γευσάμενος* praecise opponatur. Quodsi Hermannus *κακῶν* de ,,insigni aliquo malo“ dictum accipit, me haerere fateor, quo modo Vir Egregius, eam rem verbis *ἄγευστος κακῶν* exprimi, censeret, quum *αἰών οὐκ ἄγευστος* rectissime eorum diceretur, quibus insignia mala acciderint. Itaque, ,,quibus insigne aliquod malum,“ ut ait Hermannus, acciderit, verbis *οἷσι — αἰών* non designantur. Sed, si postulabant senes, ut auditores, *κακῶν* illorum accipientes, de insignibus malis cogitarent, digni erant, qui irriderentur; quamvis alto speciosa cothurno sapientia incederet. Quin etiam ne malum quidem, quod illis hominibus acciderit, verbo *κακῶν* declaratur. Quae enim ista ratio: quibus hominibus malum acciderit, iis aliorum infinita affertur malorum copia: idcirco ii, quibus nullum malum acciderit, felices sunt? Qui si Nominativo *εὐδαίμονες* v. 580 dicti intelliguntur, aut simpliciter definitur *εὐδαιμονία*, aut cum animi quadam commotione definitur, (ii vere *εὐδαίμονες* sunt; nos: diejenigen sind wahrhaft glücklich). Sin autem vocativus est *εὐδαίμονες*, non definitur, quae sit *εὐδαιμονία*, sed huic sorti, quaequae ea est, invident senes, (nos: wie glücklich sind doch diejenigen, welche etc.). Clarum vero est, prioris rationis utroque respectu eos, quibus nullum malum acciderit, omnino felices esse, demonstrari. Jam haec res, per se perspicua, primum non eget argumento, (quo adhibito fieri sane non potest, quin sententia, ut ait Hermannus, ,,inepta“ conficiatur). Deinde, si argumentum e v. 571 sq. illi rei quaeras, magis etiam, ut ita dicam, cassum quaesiveris, quam nullum. Nam, quod mala ab aliis progrediuntur ad alios, quae, quaeso, caussa est, quod eos felices putemus, quibus ne ullum quidem malum acciderit? Quam ad rem auditoribus probandam nihil attinebat, dicere, neque in omnes domesticos malum ingruere, neque domibus labefactatis in illos ingruere, neque omnino alicuj[illegible]eneris malum quoquo modo saevire in eos, qui non essent *εὐδαίμονες*; sed, illos, qui verbis *οἷσι — αἰών* significantur, eas res possidere, dicendum erat, quae *εὐδαιμονίᾳ* propriae viderentur. Quasi enim, quod quis malis alicujus generis infelix evadit, idcirco is, qui vacat illis, felix sit. Aliter res est, si *εὐδαίμονες* vocativus intelligitur, ut, qui sententia, quae sequitur, relativa, denotantur, ii homines non omnino, sed hac adeo ipsa in re felices dicantur, quod malum, sive nullum

iis acciderit, sive insigne nullum. Sed ne ita quidem intelligitur, nec, quo pacto verbis ἄγευστος κακῶν insigne malum significari possit, nec, qui his, quibus mala non acciderint, illi recte opponi possint, quorum domibus mala non acciderint. Cujus rei molèstiam devoravit Hermannus, „ut quod soleat“ scribens. Bene se haberet oratio, si poeta aut in fine v. 580 mala ad domum, aut in initio v. 581 non ad domum retulisset. Quae quum ita sint, Hermanni interpretatione: „felices sunt, quibus non acciderit insigne aliquod malum, ut quod soleat infinitam aliorum afferre malorum copiam,“ qua quidem fideliter V. D. sententiae vitio remedium quaesivit, locus non explanatur. Itaque, quemadmodum indicavimus, in fine v. 580 eos dicere chorus existimandus est, qui mali adeo nihil quasi gustent, ut ad finem usque vitae neque ipsis mala accidant, nec domus eorum ullo malo afficiatur.[116]) Et hos senes hac ipsa adeo in re, magna illi quidem cum animi perturbatione, vocativo „εὐδαίμονες“ praedicant. Nam, quum semel malum domui inciderit, fieri non posse videtur, quin omnes domestici affligantur; cujus rei documentum memoratur gens Labdacidarum. Jam, quaeso, tecum reputa, εὐδαίμονες chorum tribus modis enunciare potuisse. Aut enim voluit, ut auditores felicitatem hominum, nulla mala expertorum, δαίμονι alicui tribuerent, qui faveret illis; aut sic felices dixit, ut nihil omnino curaret, cogitaretur, necne, de diis fautoribus; aut denique, ne de felicitate quidem cogitaretur, voluit, sed de hac praecipue re, quod in sinu illi et complexu deorum essent. Haec vero cogitatio non placet, quod, vel vocativo exprompta, praecipiendi rationem habet, minus aptam, non, quo vehementer frigeat, nec, quo Euripidea, non Sophoclea, videatur, sed, quod ab actione scenae aliena ideoque inepta est. Chorus enim, magnam sororum calamitatem aspiciens, antequam, quo nomine felices essent, qui nulla similia mala acciperent, quaereret, de hoc cogitaret, oportuit, illos felices esse. Neque hanc solam rem respicit. Versibus enim, qui sequuntur, quod eos infelices dicit, qui malis afficiantur, deo quopiam auctore saevientibus, aptius est, talem calamitatem non accipientes ea in re deo auctore felices, quam simpliciter felices laudari. Ita efficitur, ut εὐδαίμονες appellentur, qui in sinu et complexu deorum ideoque fortunati sint. Igitur, ut ordine ac via procedat disputatio, domo divinitus labefactata quod mala omnes domesticos opprimunt, ea choro res necessaria videtur. Quae quibus rebus contineatur necessitudo, tacetur. Patet tamen e v. 594 sq. W.: ἐρείπει θεῶν τις, necessarium malorum progressum non sola factorum humanorum inter se cohaerentia contineri dici, sed vi quadam divina.[117]) Haec quam viam sequatur, significant vv. 618 sqq. W.: τὸ κακὸν δοκεῖν ποτ' ἐσθλὸν | τῷδ' ἔμμεν, ὅτῳ φρένας | θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν;[118]) quo vero fine ac consilio mentem hominum occaecet, ut in perniciem adducantur inscientes, neque hoc, neque alio loco ostenditur; quum dubitari nequeat, quin chorus voce ἄταν talem perniciem indicet, quam facinorum haud laudabilium secusque cadentium auctores sibi afferant.

[116]) Cf. finem exodi O. R.

[117]) Ant. v. 3.

[118]) Cf. similes sententias in scholl. ap. Athenagor. in legat., p. 106 ed. Oxon.; frgm. Aeschyl. ap. Plutarch. de audiend. poet. p. 63 ed. Oxon.; Euseb. praep. evang. XIII, c. 3; Stob. p. 62 ed. Schow.: θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς, | ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ; alia, cit. Camerario ad loc., velut jambos Lycurgi: ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινά, | τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν | τὸν νοῦν τὸν ἐσθλόν, εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει | γνώμην, ἵν' εἰδῇ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει; Sophoclis similes sententias El. 696 sq., Ai. 456, cit. Reisigio ad O. Col. 247 sq. Wund., coll.: ἄκων ἤνεγκον (ξυμφοράς) O. C., v. 968, cit. Ellendt. s. v. ἄκων.

Nam v. 599 facinoris, quod Antigona persequebatur, „insaniam“ reprehenderat, ac quidem consilio perinde perdito et a poetae ratione, qualem catastropha docet, alieno, atque alia quaecumque de Antigona decantat insigne istud adulatorii dedecoris exemplar. Non autem idcirco deus in ἄταν adducere homines memoratur, quo unusquisque mali facinoris, ab eo, a quo oriebatur, peracti, poenas det. Quae enim ista dementia: dat aliquis poenas facinoris, quod alius peregit, sic, ut ipse facinus in se admittat! Et cujus facinoris poenas illum dare existimemus, qui primum in perniciem ἄτης adducebatur? Neque intelligi potest, quid sibi velit sententia, saepius illa memorata[119]): unusquisque in malum et calamitosum facinus adducitur, si ea de re illud fieri videatur, quod facinus ab iis factum est, a quibus originem ducit. Satis videlicet erat, dixisse: auctor gentis in ἄτην adductus est, ut intelligi posset, omne deinceps genus, ab illo profectum, a deo adeo in singula quaeque prava et perniciosa sua facinora adduci. Et similis sane huic cogitationis videtur Hesiodium illud[120]): ὃς δέ κε μαρτυρίῃσιν ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσας | ψεύσεται... | τοῦ δέ τ' ἀμαυροτέρη γενεὴ μετόπισθε λέλειπται. Sed multum interest inter hoc dictum et sententiam, quam chorus v. 581: οἷς γὰρ ἂν etc. et v. 618 sqq. τὸ κακὸν δοκεῖν etc. enunciat. Hesiodus enim magnum scelus ab auctore gentis commissum dicit, quod efficiat, ut universa ejus proles caeca sit; chorus vero Sophocleus locis proxime memoratis non dicit, gentis auctorem scelus commisisse; neque aliis locis vel chorus, vel aliae personae, de mente divinitus occaecata colloquentes, caecos esse affirmant, qui a stirpe, sive sonti, sive insonti, oriantur. Sed occaecari potius illi dicuntur, quotiescumque ad mala et infausta facinora se convertunt; quod dicere, alienum foret, si ab initio caeci animo fingerentur. Quae quum ita sint, Dronkio quidem adstipulari nequeo, Sophoclem id, quod dicit V. D. „den Geschlechtsfluch“ fabulis suis effinxisse, arbitrato; si quidem in voce „Fluch“ poenae notionem inesse voluit V. D., id quod distincte pronunciare non illi placuit.[121]) Quodsi necesse quidem est, ut alia mala alia excipiant, eaque necessitudo invicta quadam vi divina, non tamen sic ea vi, cernitur, ut posteriori stirpi flagitii, a priore admissi, poena danda sit, sed sic, ut, alia culpa cum alia non implicita, ad facinora facienda, singuli quique, mentibus perturbatis, trahantur: qua tandem in re tum malorum progredientium, tum occaecationis divinae ratio necessaria consistit? Nempe, ut malorum pestis, domo divinitus labefactata, in omnes domesticos invadens, res necessaria cogitetur, duplici ratione fieri potest. Aut quidem sic, ut mala, non inter se implicita, eadem necessaria cadere videantur. Aut sic, ut alia domesticorum mala ex aliis nasci videantur, et fieri non potuisse, credatur, ut alia ex aliis non nascerentur. Sive hac, sive illa re sumpta, mala accidunt necessaria et deo auctore: ὅ τι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν | ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ; tum: ἐρείπει θεῶν τις οὐδ' ἔχει λύσιν; et ea de re accidunt domesticis, quod membra domus sunt, a deo labefactatae. Non enim Antigona recte ἀπ' Οἰδίπου dicere poterat, nisi sentiebat, interdicti novam calamitatem ea ipsa de re in se et sororem ingruere, quod ab Oedipo orirentur. Jam, quaeso, vel unum locum afferas, e quo liqueat, quum mala in omnes domesticos et propter originem eorum et deo auctore non ingruere non posse dicantur, de singulis quibusque malis personis, talem sententiam expro-

[119]) Not. 118.

[120]) O. et D. v. 282 Göttl. Ἀμαυρός „caecus,“ nec magis „infirmus,“ quam ullo alio loco; cf. G. Herm. ad Soph. O. C. v. 1022.

[121]) Passow. l. c. p. 6.

mentibus, sic persuasum fuisse, ut intelligerent, cur et fieri non potuerit, quin aliud quodque malum aliud sequeretur, et in eo, quod aliud sequeretur aliud, vis divina inesset; aut sic duntaxat, ut existimarent, utramque rem ita se habere. Exemplo utar plano et perspicuo. Unde confici potest, Antigonae de interdicto Creontis et calamitate, quae fratrem prosterneret, sic persuasum fuisse, ut intelligeret, cur fieri non potuerit, quin Creontis ille interdicto etiam mortuus vexaretur; et per deum fieri non potuerit, ut mortuo bene esset. Quodsi ne personae quidem arguunt, cur necesse sit, ut mala progrediantur et in eo, quod progrediantur, Jovis auctoritas insit: quo argumento firmemus, poetae ipsi exploratum fuisse, cur utraque res necessaria esset? Sequitur, utramque cum specie veri pronunciari. Similiter de occaecatione divina sentiendum est. Qua quum Juppiter [122]) utatur, malorum progredientium auctor, perinde illa necessaria dicitur, atque ipse malorum progressus. Est autem duplex ejus necessitudinis respectus. Alter, quo homines, ad perniciem et flagitium, mente divinitus occaecata, tracti, utramque effugere non posse videantur: *οὐ γὰρ ἴδοις ἂν ἀθρῶν βροτὸν, ὅστις ἂν, εἰ θεὸς ἄγοι, ἐκφυγεῖν δύναιτο;* [123]) alter, quo in eo, quod fugi nequit, dei, supremi scilicet, vis aliqua inesse videatur, sive effectus, sive proprietas, sive attributum, sive aliud quid ejus dei occaecatio habenda sit. Jam animo fingas iter, quod Corintho Delphos Oedipus fecit, et monstra, quaeso, e quo intelligere possent auditores, cur fieri non potuerit, ut Oedipus, Delphis profectus, vel Corinthum rediret, vel alio se conferret; cur necesse esset, ut in Sphingem incideret, mox patrem interficeret, matrem uxorem duceret iisque postea rebus affligeretur. Quodsi poeta rem sic instituit, ut intelligere non possent auditores, cur necesse esset, ut, deo mentem perturbante, homines in perniciem et flagitia incurrerent — quae videlicet demonstratio ne postulari quidem a poeta potuit — qui conficitur, ipsi stetisse, cur illud necesse esset? Quod, iterum, apparet, cum specie veri pronunciari. Sin autem occaecationis divinae effectus, cur sit necessarius, nisi cum specie veri non intelligitur, ne hoc quidem, cur ea natura, in quam illa confertur, in hac certe sua vi atque auctoritate, exsistat seque manifestet, aliter intelligitur, ac cum specie veri. In quam quo nomine perturbatio mentis conferatur, plane dijudicari tum demum poterit, quum explicatio locorum continuata fuerit. Facere tamen vix possum, quin rationem valde notabilem jam hoc loco monstrem, qua v. 607 occaecationis auctor Juppiter non quidem esse dicitur, sed tamen sic esse sentitur, ut, Jovis potentia vv. 600—606, (*αἴγλαν*), adumbrata, v. 607 sqq. legem *ἄτης*, quam vocant, perpetuo valituram esse, affirmetur. Unde tantum orationis vitium? Dicat aliquis: quod sollemni quadam reticendi moderatione favent senes, enunciare, ipsius Jovis esse eam legem, qua stropham concludunt. Quasi Antigona quicquam profanet, dicens: *Ζεὺς τελεῖ κακά.* [124]) Caussa, cur tam vitioso sermone utantur senes, haec potius est, quod, antistropha ratione lege *ἄτης*, quae vocatur, subjecta descripta, cum dubitatione illam legem in Jovem conferunt: *οὐδὲν ἕρπειν θνατῶν βιότῳ πάμπολυ γ'ἐκτὸς ἄτας.* Jam vero, quisquis judicas, Jovis numen celebrasse, imo pie coluisse Sophoclem, quid tu necessitatis afferre vales, quare poetae exploratum fuerit, cur illa lex exsisteret, deinde, cur numen exsisteret, in quam personae eam conferunt, denique, cur illa lex illius numinis esset? Hanc rem si ne personae quidem firmant, quomodo stetisse poetae dici

[122]) V. 600 sqq., coll. v. 2 sqq.
[123]) O. Col. 252. Br.
[124]) V. 3.

potest, cur etiam lata sit a Jove lex illa? Et haec, et malorum adversus immeritos homines continuatio, unde scis, Sophoclem non, pro ipso illo numine, quoquo modo, acciperentur, voluisse, quod quidem dilucide chorus ultimo Trachiniarum versu *πῆμα* dicit: *πολλὰ δὲ πήματα καὶ καινοπαθῆ· | κοὐδὲν τούτων, ὅ τι μὴ Ζεύς.* Scilicet, ut intelligatur, cur lex, proxime memorata, a Jove lata sit, hoc pimum intelligatur, necesse est, qua ratione deus illam tulerit. Hoc autem non magis ullo loco arguitur, quam chorus h. l. arguit, vel latam a Jove legem illam esse. Quare, quid mirum, quod rationem legis, usque eo *λόγῳ* carentis, alii VV. DD. alio deflexerunt, *τὰ καθ' ἕκαστον*, ut dicam, quod sentio, in eam sententiam trahentes, quae singulis quibusque de *τῷ καθ' ὅλου* placuit? In quibus V. D. Arnoldus Passowius, mittens id, quod Dronkius „den Geschlechtsfluch“ dicit, pag. 26, l. c., sic censet: „dass die gänzliche Hingebung des eignen Willens in den göttlichen die höchste Stufe ist, die Sophokles nach den allgemein gültigen Gesetzen einer sittlichen Weltordnung dem Menschen zu ersteigen aufgiebt.“ Quam vero rem V. D. „die Hingebung in den göttlichen Willen“ dicit, eam, consentaneum est, tum etiam postulari, quum, ut ait V. D. pag. 27, „es der Gottheit, (imo potius, ut opinor, „dem Gotte“), gefällt, unsern Geist zu bethören.“ Fateor, me non satis assequi, quo consilio poeta voluerit, ut homines numini se dederent, quod mentem eorum occaecet, ut in perniciem et flagitia adducantur illi. Et de eodem numine, quod, ut ait V. D., „unsern Geist bethört,“ statim addit: „die göttliche Fügung ist eine gerechte.“ Quod si Sophocli placuit, duplex justitae ratio placuit, altera, qua nocere, justum, altera, qua injustum, imo repudiandum, videretur. Tanta sententiae repugnantia quo jure Sophocli imputari possit, equidem non dispicio. Nec facere possum, quin a V. D. in alia omnia discedam, quod ille pag. 27, docuisse fabulis suis Sophoclem, dicit, ut V. D. verbis utar, „dass wir das Gute nur dann schaffen, wenn wir durch prophetische Einsicht den rechten Weg gewiesen werden.“ Quod beneficium quum, si bene V. D. intelligo, in deum certe conferri, oporteret, nec dicit V. D., in quem deum poeta illud contulerit; et, si de Jove, *πάντα κραίνοντι*, V. D. cogitavit, exemplum vel unum perhibuisse, valde gratum fuit, quo iste deus bonitatis auctoritas appareat. Quae quidem quum ita sint, quum, rationem *ἄτης* neque, eam esse, qua homines admonerentur, ut in arbitrium „der Gottheit“ se dederent, sentire possimus, si quidem Sophoclea sentire volumus, neque, alia omnino admonitione contineri, placeat, quippe quae non intelligatur, quo pacto pertineat ad misericordiam commovendam: gratias meruit V. D., qui rationem duntaxat loco illi quaereret vexatissimo. Nam, quod plurimi interpretes, de locis, quibus *ἄτη* memoratur, dicentes, alii id, quod obscure dicunt, „den Fluch“ sic memorant, ut non liqueat, utrum ea res meritis accidisse videatur, an immeritis; alii vocibus „culpa,“ „poena,“ „supplicio,“ „expiare“, similibus, utuntur, quasi vel sponte appareat poetae exploratum fuisse, et, cur flagitia, mente divinitus occaecata, admissa, auctoribus culpae danda essent, et, qua ratione deus auctores occaecet: turpissime illi lectores excruciare judicandi sunt. In alium censum veniunt, qui dicunt, e poetae sententia homines in discrimen, quocumque modo illis salutare, a deo adduci sapienter. [125]) Redolet scilicet haec sententia illud nobilis nostratis poetae: „Wer nie sein Brod“ etc. At quis optimum Graecum anili adeo ratiocinatione usum esse, credat? Quasi continuo, si vel omnes, malis afflicti, deos agnoscant,

[125]) Schoell., l. c. pag. 113.

qui malis non affligantur, agnoscere deos nequeant. Et quid tandem tum de his, tum de malis statuamus, quae non divinitus cadant? Nempe nihil dicitur, nec stropha α', nec in fine strophae β', omnia mala, quibus utantur homines, divinitus immissa videri; non magis, quam pronunciatur, qui malis vacent, idcirco vacare, quod nulla divinitus immittantur. His omnibus VV. DD. ne concedi quidem potest, sed potius etiam atque etiam negandum videtur, et, duas culpae naturas Sophocli placuisse, quarum altera parricidae et incestuum auctores scelerati, altera boni sint, fieri possit; et, poetam facinora, quae cum occaecatione divina homines fecerint, illis culpae darentur, voluisse. Atqui ne descendunt quidem VV. DD. ad hanc quaestionem simpliciter respondendam: volueritne Sophocles, necne voluerit, Oedipodi, ut exemplo utar, pater interfetus nuptiaeque maternae culpae darentur. Cui quaestioni qui respondent affirmantes, cum iis videlicet, si recte ita respondeant, quaerendum foret, qua re poeta in eum vecordiae finem adduci posset, ut, quem invicta vi ad parricidium et incestum tractum esse, diceret, inscientem, ei ista facinora culpae darentur, vellet. Qui quum et in frgm. Tyr. X diceret: *ἄκων δ'ἁμαρτὼν οὔτις ἀνθρώπων κακός*, et in exodo O. R. Oedipum *ἄνδρα κράτιστον* magna cum laude celebraret, si nihilo minus voluisse apparuerit, ut culpa parricidii et incestus in illum conferretur, poenarum quidem unam eandemque, culpae vero duplicem rationem statuisse apparuerit, alteram. qua parricidae et incestorum auctores et selerati viderentur et capite damnandi, alteram, qua non scelerati, quippe qui sive singuli sapientia quadam divina ad culpam traherentur, sic tamen, ut poenas ejus culpae darent — quo quid umquam excogitatum absurdius? — sive culpam quasi patriam hereditatem alii ab aliis acciperent. Qua de re, cetera et de *ἐχθροδαίμοσι* et de moribus Oedipodis subtiliter disputans, V. D. Schneidewinus [126]) haec praecipit: „Sodann beachte man, dass,“ (scil.: „nach dem Glauben des Alterthums“), Oedipus „angeerbte Sünde trug.“ Scire velim, quid sit, cur V. D. non scripserit „des Sophokles.“ Nempe, si, istam sententiam Graecorum omnium fuisse, firmare valebat argumentis — id quod non fecit ille — lectoribus hoc duntaxat gratum facere poterat, ut ad Sophoclem illam referret, qui scilicet et quaestionis propositae et ejus rei esset, quam dicit V. D. „das Alterthum.“

Φθιτῶν, ad *Λαβδακιδᾶν* referendum. De Genitivis cumulatis cf. Matth. l. l. §. 380, n. 2; Jacobitz. ad Xenoph. Cyrop. VI, 1, §. 15. De vocabulo *οἶκος* v. etiam Aristot. polit. I, 1, 6; coll. Herm. antiq. graec. III, §. 9, n. 3; Thuc. I, 137.

Ἀρχαῖα, cum *πίπτοντ'* conjungendum. Denique praepositio *ἐπὶ* non ad verbum quidem *πίπτοντ'* referendum, sed hoc absoluto sensu sic positum est, (cf. Plat. legg. IV, 709, *A*: *ξυμφοραὶ παντοῖαι πίπτουσαι*), ut mala alia cum aliis accidisse dicantur. Sic cadebant res adversae domuum Labdacidarum, qui interierant, ut novis continuo rebus adversis exciperentur. Quippe *ἐπὶ* c. Dat. quum res, quarum altera alteri succedat, tum, quae sive tempore, sive loco qualicumque ratione inter se conjungantur, indicat.

Ἀπαλλάσσει, sc. *πημάτων*, (cf. Antig. v. 763 Br.: *μόρου ἀπαλλάσσει*); ac si prior domus, (*γένος*), miseriis suis deo satisfecerit.

---

[126]) Praef. O. R. pag. 20 seqq.